IVLI FLORI

EPITOMAE

DE TITO LIVIO

BELLORVM OMNIVM ANNORVM DCC

LIBRI II.

RECENSVIT ET EMENDAVIT

OTTO IAHN.

LIPSIAE

APVD WEIDMANNOS

MDCCCLII.

SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

Vergil

IVLI FLORI

EPITOMAE

DE TITO LIVIO

BELLORVM OMNIVM ANNORVM DCC

LIBRI II.

RECENSVIT ET EMENDAVIT

OTTO IAHN.

LIPSIAE

APVD WEIDMANNOS

MDCCCLII.

PRAEFATIO.

Quod Florus a me editur longe mutatus ab illo qualis uulgo legebatur, id fortunae quodam casu et optimorum amicorum fauore effectum est. equidem, qui a Lachmanno olim monitus memoria tenebam in bibliotheca Bambergensi codicem seruari cuius ope Florus insigniter emendari posset, cum praeteriti anni aestate itineris suscipiendi consilium agitarem, hunc codicem accuratius examinare proposueram. sed postquam causae, quae extra me positae erant, tunc quidem iter illud prohibuerunt, omnem de Floro cogitationem deposui. ecce conuentu philologorum Erlangensi absoluto Carolus Halmius amicos uisurus Lipsiam uenit. inter uarios de rebus nostris sermones cum etiam bibliothecae Bambergensis meminissemus et ego de codice quodam Sexti Rufi antiquo quaesiuissem, ille 'hunc quidem' ait 'monstrare tibi possum, nam mecum asportaui.' paullo post Flori quoque mentionem inieci. tum uero ille ridens 'etiam huius codicis' inquit 'facultatem tibi praebebo', et ut ille apud Schlemilium e perula utrumque librum a me optatum uno scilicet uolumine conprehensum mihi tradidit. cum codicem obiter inspectum Halmio redderem, ille amicissime a me petiit ut iam occasione 'quasi de industria ita captante fortuna' mihi oblata uterer atque consilium Flori ad codicem Bambergensem recensendi exequerer. ego uero negare tale consilium umquam mihi certum fuisse, neque me in alienam prouinciam inuolaturum. ille contra adfirmare se non magis de Floro edendo cogitasse, praesertim aliis negotiis districtum, acriusque instare ut codicem accurate excuterem,

tum meo arbitrio aut ederem Florum aut reponerem. tandem amicae erga me uoluntati cedendum putaui et in conferendo codice, quantum inde auxilii ad Florum restituendum petere liceret, statim intellexi. quare cum animum inprobo commentarii in Iuuenalem scribendi labore fessum aliqua mutatione reficere cuperem, Flori postquam legi etiam emendandi, quantum fieri posset, curam suscepi. quo certius autem fundamentum operis perficiendi iacerem codicem a Mommsenio adiutus intra paucos dies bis contuli. Halmius autem, cui codicem redditurus indicaui quid consilii cepissem, non contentus librum praestantissimum subministrasse quouis modo opus inceptum adiuturum se promisit, et promissa quamquam multis et grauissimis officiis occupatus promptissima uoluntate atque indefesso studio executus est.

Iam uero ante omnia opus erat ut codicem Nazarianum, quem excepto Bambergensi antiquissimum et optimum esse satis constabat, Heidelberga nanciscerer, quippe quem a Salmasio et Grutero non ea quam hodie desideramus cura conlatum esse suspicari licuit. hac quoque in re pro me intercedente Gustauo Hartensteinio, quem certum in re incerta amicum expertus sum, praeter Nazarianum alium quoque Flori codicem recentiorem et Iordanis egregium utendos accepi.

Hisce igitur potissimum subsidiis adiutus Flori uerba ad codices Bambergensem atque Nazarianum, adhibito etiam Iordane, accurate recensui et quae minus recte scripta uidebantur emendare studui. tum demum ea quae a uiris doctis e recentioribus codicibus atque ipsorum coniectura ad scriptorem rectius constituendum adlata repperi diligenter examinata in usum uerti. ita uerbis scriptoris descriptis et apparatu critico digesto amicorum auxilium adhibere par uisum est. omnia igitur Theodoro Mommsenio tradidi, qui cuncta accurate perlustrans quaecumque minus recte a me administrata uidebantur notauit et quae ipsi in mentem ueniebant adscripsit; tum res ad Mauricium Hauptium delata est, qui eadem ratione quae uterque elaborauimus recensuit. tertium his se Carolus Nipperdeius adiuncturus erat; uerum Ienam auocatus Floro operam suam, quae sane quam maxime salutaris fuisset, praestare non potuit. iam uero totum opus post Mommsenii Hauptiique curas de integro diligenter a me retractatum typographo tradidi. singulas plagulas inter

corrigendum ad Halmium misi, qui non solum codicem Bambergensem tertio adhibuit et quaecumque uel omissa uel minus recte adnotata repperit summa fide correxit, sed etiam quae in opera mea inprobaret candide indicauit et quae ipse inuenerat mecum communicauit, qua in re fieri non potuit quin haud pauca ab amicis Lipsiensibus sibi praerepta uideret. at ego opportunitate mihi oblata denuo omnia accurate perpendendi summa cum fide usus sum. ita factum est ut cura atque diligentia maiore quam quae ab uno homine adhiberi solet et uero potest scriptoris huius uerba tractata sint. quantum uero in hoc negotio amicis egregiis debeam, id non ex eis locis diiudicandum est quibus nomen eorum adscriptum legitur. saepissime enim ab eis admonitus aut praua deserui aut ad ea inuenienda, quae mihi quidem uera uisa sunt, adductus sum.

Codice igitur bibliothecae Bambergensis (E III, 22) in membranis forma quadrata minore scripto, continentur DARETIS FRIGII HISTORIA saeculo decimo scripta (p 1—32, cf Iaeckii descriptio I p.64, 489); BREVIARIVM FESTI saeculo undecimo scriptum (p 33—52, cf Iaeckius I p 135, 1067); EPITHOMA IVLI FLORI DE TITO LIVIO BELLORVM OMNIVM ANNORVM SEPTINGENTORVM LIBRI N· DVO saeculo nono scripti (p 63—214, cf Iaeckius I p 69, 528). Flori codex, quem *B* notaui, satis bene scriptus est, sed non semper ab eadem manu. ita quae in hac editione p 105, 9 usque 106, 1 leguntur librarius diuersus ab eo qui reliqua scripsit proprio quodam scribendi genere exarauit. multis locis librarius ipse correxit quae praue posuisse sibi uidebatur; quod ita semper indicaui ut *b* adposito notarem quod prius scriptum, *B* quod secundo loco repositum est; haud raro quaedam ita erasa sunt ut iam legi non possint, quae asteriscis significaui. neque ubi secunda manus quaedam correxit, quod interdum factum est, commemorare id neglexi. omnino summa qua fieri potuit diligentia adnotaui quaecumque in hoc codice leguntur, exceptis quibusdam orthographicis, de quibus statim dicetur, ita ut ea quae in textum recepi eodem modo in *B* legi censenda sint, nisi aliter adnotatum est. hoc re uera ita se habere ut satis confidenter adfirmem Halmii potissimum cura effecit. nisi quod p 37, 25 *quicquam* legendum est, ut *B* habet, atque p 61, 5 adnotandum erat in *B* legi *aqua ebiberit*; p 97, 29

exitum exhibere *BN*, non *IN*, et p 16, 25 *inlatūam* legi in *N* neque uero in *B*. ceterum cum *B* in uniuersum satis diligenter scriptus sit, patet eum librum, ex quo descriptus est, praecipue uersus finem haud satis bene legi potuisse, ubi multa uitiose scripta, multa erasa sunt. denique p 123, 1 in litteris *profund* finem fecit librarius nondum finita pagina, ita ut cetera aut omnino defuisse in libro suo uideantur aut legi non potuisse. hunc Bambergensem codicem e fonte deriuatum esse prorsus diuerso a ceteris quotquot noti sunt Flori codicibus uel inde satis manifestum est quod solus lacunam quae ceteros codices p 110, 1—24 occupauit expletam habet solusque uerba '*Siciliae quoque litora et Campaniam nostram subito aduentu terrere uoluerunt*' suo loco p 68, 5 posita exhibet, quae in reliquis p 66, 15 turbato ordine leguntur. neque uero in his praestantia huius libri se continet, sed in uniuersum uerba Flori longe emendatiora tradit quam ceteri et plerumque eis quoque locis quibus corruptelam passus est emendandi uiam reliquis clarius certiusque indicat. quae res tam aperta est ut exemplis eam demonstrare superfluum sit, cum iam quaecumque in hoc libro leguntur accurate adnotata extent. nam ex editione a Seebodio anno MDCCCXXI curata, qui primus codice Bambergensi — non dixerim usus est, de praestantia eius coniectura capi non potuit. ille enim non ausus sapere ne lacunam quidem explere aut uerba supra memorata suo loco reponere sustinuit et ex ingenti egregiarum lectionum numero paucas tantum easque minimi fere momenti probare ab animo suo impetrauit. uel sic hominis ignauiam libri bonitas superauit eique semel uel iterum ueram emendationem quasi extorsit.

Simili libro atque is fuit, ex quo Bambergensis deriuatus est, usus est Iordanes, quem in libro de successione regnorum permulta ex Floro descripsisse diu animaduersum est. et ab initio usque ad bellum Macedonicum secundum p 46, 20 Iordanes satis adsidue et per longa capita integrum fere Florum descripsit, tum uero fatigatus, ut breuius rem perageret, omisso Floro S. Rufi potissimum breuiarium sibi elegit quod sequeretur. neque tamen postea Flori prorsus oblitus est, sed in rebus Crassi p 75, 4 atque Augusti p 113 sqq ad eum reuersus pauca quaedam inde descripsit. igitur quaecumque Iordanes e Floro ad uerbum mutuatus

est ita adnotaui ut signis "et" includerem a Iordane descripta, quibus respondent in margine posita *I* et [*I*]. ubi Iordanes Floro usus est, ut tamen uerba eius non describeret, diligenter adtendi num quid ad ueram lectionem restituendam inde effici posset neque id adnotare neglexi. at uero Iordanis libellus ut nunc a Vulcanio et Muratorio ex interpolatis atque deprauatis codicibus editus circumfertur fidem non meretur et in critica exercenda nullius usus est nisi, quod rectissime iam Salmasius animaduertit, ad antiquos codices exigatur. adhibui igitur codicem Heidelbergensem (921), quo iam Salmasius usus est, in membranis forma quadrata maiore saeculo nono litteratura Anglosaxonica egregie scriptum. ab initio mutilus est, nam incipit in libro de successione regnorum a uerbis '*et finis regni*', quae in editione Vulcanii p 18 leguntur. in ima pagina prima eadem subscriptio legitur, quam Lachmannus e codice Lucretii oblongo p 5 enotauit '*Iste liber pertinet ad librariam Sancti Martini ecclie Maguntinae M Sindicus* 1479'. eo igitur tempore iam mutilatus erat liber, qui inde a folio 51 uerso Iordanis librum de originibus actibusque Getarum continet. ad hunc praestantissimum codicem accessit alter Monacensis, olim Pollingensis, saeculo duodecimo scriptus, Heidelbergensi non deterior, quem accurate contulit Halmius. idem adhibuit etiam alterum Monacensem, olim Ratisbonensem Iordanis codicem saeculi XII atque Bambergensem historiae miscellae, quae e Iordane quaedam Flori excerpta continet. quos cum uiderem bonitate illis duobus longe cedere, consului quidem, sed uarias inde lectiones adferre nolui, ne apparatum criticum inutiliter augerem. omnino in Iordanis, quem *I* notaui, lectione adnotanda tenendum putaui Flori me neque uero Iordanis editionem curare. quare omnia fere omisi quae ad orthographiam spectant neque manifesta librariorum uitia, qualia ubique occurrunt, adnotare operae pretium duxi; tum uero ubicumque codicis Bambergensis lectiones genuinae in uno uel pluribus Iordanis codicibus extabant, reliquorum aberrationes non curaui, et codicum Heidelbergensis (I^h) atque Pollingensis (I^p) discrepantias non nisi eis locis adscripsi ubi ad iudicium de uera lectione ferendum alicuius momenti esse possent. qua in re nec operae nec chartae nimium parcum me fuisse conscius mihi sum; ceterum hoc pro certo teneat qui in Flori uerba rectius constituenda accu-

ratius inquirere uelit, nihil ex *I* adnotari quod non in codicibus ita scriptum legatur. cum ita de uera Iordanis lectione mihi constaret, apparuit quam arte cum Bambergensi libro conspiret, cuius lectiones ubique fere confirmat, ita tamen ut hisce locis etiam uitia quaedam huius codicis corrigat

p 7, 6 rex *I:* res *BN*
9, 9 romam *I:* R *B,* romanum *N*
9, 23 augeri *I:* augure *B,* augerit *N*
12, 11 annuum *I:* annum *BN*
12, 16 urbe *I:* urbem *BN*
15, 4 menius *I:* menenius *B,* moenibus *N*
38, 12 perpulit in campaniam suam *I:* perpulit in campania sua *B,* pepulit in campania sua *N*

quae omnia sane non magni momenti sunt et facile coniectura emendari potuerunt, sicut illud quod Heinsius coniectura repperit p 20, 21 *ornatam*, ubi *BN* habent *armatam*, in Iordanis codice Bambergensi ita legi sero admonitus ab Halmio didici. quanta autem Iordanis in uerbis Flori recte constituendis auctoritas sit nunc demum recte diiudicari potest, postquam codex Bambergensis innotuit. antea enim Salmasius Gruterus et qui praeter eos Iordanem adhibuerunt egregias eius lectiones non potuerunt quidem quin saepe agnoscerent, at tamen cum omnes Flori codices contra starent, dubium non prorsus remouere potuerunt num quid de suo fortasse correxisset Iordanes, quamquam id in hoc scriptore nequaquam uerisimile fuit. iam uero nullum hac in re dubium remanere potest et ipse ille inter Iordanem atque codicem Bambergensem consensus haud parum ad firmandam utriusque auctoritatem confert.

Ex alio et longe peiore fonte quin reliqui omnes Flori codices, qui quidem innotuerunt, deducti sint, dubium esse non potest. eorum antiquissimus atque ut inter interpolatos integerrimus est Heidelbergensis (894), in membranis formae quadratae saeculo nono scriptus. in imo folio primo uerso legitur '*Iste liber est eccle beati nazarii in laurissa*', unde Salmasius, qui primus eum adhibuit et prae ceteris codicibus iure maximi fecit, Nazarianum uocauit. Gruterus, qui post Salmasium eo usus est, primo folio inscripsit '*Palatinus primus. ita istum uoco in notis meis aut adeo Nazarianum*'. Romam cum reliquis Palatinis codi-

cibus, inde Parisios iure belli asportatus tandem Heidelbergae redditus est. Florum excipiunt in hoc codice folio 62 recto epitomae siue, ut hic inscribuntur, periochae librorum T. Liuii. scriptus est satis bene maioribus ab initio litteris, quas uersus finem librarius minutiores minus certa et firma manu pinxit. haud raro secunda manu correcta sunt quae prior librarius scripserat; sed haec non nisi raro adnotanda putaui, postquam animaduerti eum qui codicem ita retractauit non ex antiquo libro desumptas lectiones sed coniecturas adscripsisse plerumque futiles. eas igitur tum fere commemoraui ubi leuem aliquem errorem correctum uiderem, ut p 99, 26 *obequitantis* recte scriptum est pro *obequitatis*, quod *BN* habent; p 99, 27 *iactationem* restitutum, cum *iectationem* in *N*, *iatatonem* in *B* legatur; p 114, 13 *remouebant*, quod corrupte exhibent *BN*, recte mutatum est in *reuomebant*. ut haec e coniectura potissimum correcta credam facit quod in corruptelis conspirant *BN*, unde iure effici potest eas omnibus qui aetatem tulerunt codicibus antiquiores esse. his exceptis omnia quae in codice Nazariano, quem *N* notaui, leguntur diligenter adnotaui neque quicquam sciens uolensque omisi. quamquam uereor ne, cum hic codex non totiens repetitis curis pertractatus sit quot Bambergensi contigerunt, quaedam me quamuis operi intentum fugerint. eam tamen curam adhibui ut, ubicumque Salmasius uel Gruterus aliquam libri Nazariani lectionem adtulerunt, ipse codicem denuo consulerem, ita ut adfirmare audeam, mihi potius ubi dissensus sit quam illis fidem habendam esse. iam uero nemini dubium esse potest quin Nazarianus codex longe inferior sit Bambergensi, non tantum quod uitiis qualia admittere solent librarii magis inquinatus est, sed, quod longe grauius est, quia uerba scriptoris ab interpolatore quodam longe plurimis locis licenter inmutata repraesentat. quod per exempla demonstrare non opus uidetur, cum una quaeque pagina luculenter doceat.

Ceteri codices, quorum ingens numerus in omnibus fere bibliothecis seruatur, et recentiores sunt Nazariano et multo magis uitiis librariorum atque licentiosis interpolationibus foedati. hoc tam de omnibus ualet quos priores editores consuluerunt, ut apud Dukerum uidere licet, quam de eis quos aut ipse aut per amicos cognoui, Monacensi Berolinensi Guelpherby-

tano Haeneliano. omnes ex eodem fonte propagatos esse tam certum est, quam hunc non multum diuersum fuisse ab eo unde originem duxit Nazarianus. ex Nazariano ipso autem ceteros non esse descriptos uel uno certissimo testimonio confici potest. in hoc enim codice quae leguntur inde a uerbo *Gallorum* p 46, 7 usque ad *euerterat* p 54, 16 suo loco omittuntur et alieno inseruntur post *perirent* p 89, 29; et rursus quae leguntur post uerbum *portus* p 64, 25 usque ad *Colchis tenus* p 66, 16, ibi omittit et p 68, 5 ita inserit ut quaedam uerba bis ponat. apparet igitur in eo codice ex quo deriuatus est Nazarianus transposita esse folia quaedam, id quod incuriosus librarius neglexit. in ceteris uero codicibus omnia haec suo ordine perscripta sunt; unde efficitur deriuari eos ex codice a Nazariani archetypo diuerso quidem sed simillimo praeter hanc transpositionem. hoc enim nemo negabit, qui multas foedasque interpolationes quibus hi codices scatent ad communem fontem referre didicerit, idque eo certius apparet, quo magis singuli inter se discrepant, qua ipsa re librariorum libidinem arguunt. quamquam enim fieri potest ut casu quodam etiam per hos codices hic illic uera lectio seruata sit, nusquam tamen certis argumentis euinci potest, si quid in eis reperitur quod ueri speciem praebeat, id ex antiquo illo codice seruatum neque uero librarii coniectura repertum esse. hoc in uniuersum recte disputatum esse nemo facile negabit; quo certius de ea re iudicium ferri possit omnia adscribam quae e codicum recentiorum uel uno uel pluribus tamquam recte emendata recepi. cum uero nihil referat in quo potissimum horum codicum, singulis an pluribus, aliquid legatur, sed totum genus significasse satis sit, ς nota usus sum.

p 5, 23 CCL ς: CL *BN*
6, 2 CC ς: CL *BN*
9, 2 missi ς: misit *BIN*
14, 20 cora ς: sora *BN*
21, 10 furit ς: fuit *BIN*
21, 21 ciminius ς: geminius *BIN*
24, 16 uideo me ς: idem omne *BN*
33, 14 quam quasi ς: quamsi *BN*
51, 13 macedoniam ς: macedoniae *BN*
51, 21 tuba ς: turba *BN*

p 56, 19 quae etsi ς: quaesi *N*, quasi *B*
56, 21 proferentur ς: perferentur *BN*
57, 9 cecidit ς: caede *BN*
59, 22 eos *add* ς: *om BN*
63, 8 simile ς: simili *BN*
64, 28 depulisset ς: dispulisset *B*, discipulisset *N*
80, 22 obrogare ς: abrogare *BN*
85, 3 leniter ς: leuiter *BN*
88, 20 tum ς: cum *BN*
103, 19 nisi cohortes ς: nisi quod cohortes *BN*
108, 26 est *add* ς: *om BN*
108, 28 et *add* ς: *om BN*
109, 4 utrimque ς: utrumque *BN*
111, 20 gladio ς: claudio *B*, a claudio *N*
114, 29 adsuetae ς: adsueta *BN*
115, 18 saucius ς: sauciis *BN*
116, 14 anquirit ς: adquirit *BN*
116, 21 marcus ς: marcius *BN*
119, 7 obsitos ς: oblitos *BN*

quibus addendum uideo p 59, 23, ubi quod mea coniectura scripsi *utriusque*, cum in *BN* sit *uariusque*, id in ς legi postea demum animaduerti. haec omnia autem, numero sane pauca, ita conparata sunt ut consensus *BN* aut *BIN* antiquam esse corruptelam aperte doceat, emendatio autem tam facilis sit ut attentum lectorem fallere uix possit, quarum nulla eius naturae est ut ex archetypo potius traditam quam ab librario inuentam putemus. huc accedunt pauci quidam loci in quibus *B* et *N* inter se discrepant.

p 19, 14 pugnauerat ς: pugnauerit *N*, repugnauerat *B*
24, 28 uictorem populum romanum ς: uictorum populum romanum *N*, exercitum populi romani *B*
32, 5 magna praeda si gregem ς: magna praeda ac si gregem *N*, magnas praedas egit ut si gregem *B*
85, 4 ex obuiis ς: ex obulis *N*, *om B*
88, 15 esquilina ς: escilia *N*, **lla *B*
122, 8 tam ς: iam *N*, quam *B*

et ubique quidem leuis corruptela qualis in *N* legitur emendata est in ς, nusquam peius corrupta *B* lectio, unde rursus patet

eundem esse codicum *N* et ς fontem, diuersum ab eo unde *B* deriuatus est. denique ultimo libro, ubi *B* deficit, haec uitia, quibus *N* deturpatus est, in ς correcta sunt

p 123, 5 ad *add* ς: *om* *N*
123, 8 uictorem gentium populum romanum ς: uictoriam gentium populi romani *N*
123, 15 paeniteret ς: pertineret *N*
123, 17 caesar ς: gaius *N*

de quibus cur aliter iudicemus nulla causa est. quae cum ita sint, dubium esse nequit quin, si quid in ς inueniatur quod probabile sit, id coniectura repertum duci oporteat neque grauiorem auctoritatem habeat; quae quam pauca sint demonstratum est. prorsus superuacaneum igitur erat interpolationum atque uitiorum ex sola librariorum neglegentia procreatorum farragine scriptorem onerare. quod si quis in animum inducere uolet ex interpolatis potissimum codicibus Flori uerba restituere — et nihil in hoc genere desperandum est — is apud Dukerum parata inueniet quibus abutatur, et facili opera errorum copiam ex aliis codicibus augere poterit.

Artis criticae paullo peritiores non dubitabunt, credo, quin codicibus recentioribus omissis *B*, adhibito ubi fieri potest *I*, fundamentum uerae lectionis restituendae habendus sit. sed uel optimus codex non inmunis a uitiis est quae emendatione egent, siue ex antiquioribus libris translata sint, siue ex librarii incuria nata. ad quae deprehendenda atque tollenda permagni momenti est codex qualem *N* habemus, qui quamquam in uniuersum inferior est, haud pauca tamen siue casu siue librarii diligentia recte scripta seruauit quae in *B* corrupta extant. atquin quo modo in constituendis Flori uerbis codice *N* usus sim ad supplendum et emendandum *B* per singulos locos demonstrare longum est et accuratior operae meae contemplatio unumquemque docere potest; hic tamen quaedam quasi capita tangam, quae in ea quaestione alicuius momenti sunt.

Ex eis quae de cognatione inter *B* et *I* disputata sunt efficitur grauissimam esse eorum auctoritatem quae *BI* consensu firmantur; sed ubi *B* et *I* inter se dissentiunt, quaerendum sane est uter uera tradiderit. iam hi pauci extant loci ubi uera lectio, quae in *I* legitur, etiam in *N* reperitur

p 9, 1 nec diu in fide *IN:* nec desit deinde *B*
9, 16 illo uelut *IN:* illut uelut *B*
21, 19 coniurant erat terror ingens *IN:* coniurante[s]ra[c]t [c]te[rsi]rritis ingens *B*

qui satis docent in *B* incuria quaedam esse corrupta quae *N* recte seruauit. at aliis quibusdam locis, ubi *B* aut ueram lectionem exhibet aut talem de qua per se dubitandi nulla causa est, *I* et *N* inter se consentientes a *B* dissentiunt. sunt uero hi

p 20, 27 in ipsa Samnio *IN*, in ipso Samnio *B*
29, 19 ipsam illam *IN*, illam ipsam *B*
30, 15 adeoque *IN*, atque *B*
32, 7 ibi *IN*, ab his *B*
36, 31 ad constitutum *IN*, ex constituto *B*
39, 9 uim *om IN*, *add B*
39, 9 oppresserunt *IN*, oppresserant *B*
39, 23 saltem uel *IN*, saltem *B*
40, 13 itaque fugit *IN*, fugit *B*
41, 19 ante *IN*, antea *B*
41, 21 pacis *IN*, pacis et *B*

atque cum certum sit *B* p 30, 15 recte exhibere *atque*, p 39, 3 recte omittere *uel*, quod interpretandi gratia uerbo *saltem* adscriptum est, denique p 41, 21 recte addere *et*, tamen ceteris locis dubitari licet utra lectio per se praeferenda sit. certe hoc *I* et *N* consensu probatur, non omnes lectiones quibus *N* cum *B* dissentit ex ingenio eius ortas esse qui codicem *N* scripsit, sed partim ex antiquiore codice deriuatas. idem eis quoque locis demonstratur quibus *N* cum *b* nunc in uera, nunc in praua lectione consentit; quod, praeterquam quod communem habent formam *poteretur*, hisce fere adnotaui

p 7, 17 hinc *BI:* hic *bN*
8, 25 poterant *BI:* poterat *bN*
16, 6 pareretur *bN:* pararetur *B*
18, 10 stato *bN:* statuto *BI*
19, 4 aliquod *bN*, aliquot *B*
20, 12 hic *bIN:* hinc *B*
23, 3 lirim *bN:* lyrim *B*
25, 13 brittius *B:* bruttius *bN*

p 26, 15 postumium *bN:* posthumium *B*
27, 18 regum *bN:* legum *B*
28, 12 ahala *bN:* abala *B*
109, 2 staret *B:* starent *bN*

quae cum ita sint, nemini mirum accidet, si uel contra *BI* ueram lectionem in *N* seruatam esse inuenimus, quod his locis factum esse puto

p 8, 29 citauere *N:* ut auderet *BI*
11, 5 mira res dictu *N:* mira res dicitur extitisse *BI*
32, 1 cos. spirantibus altius *N:* cos. conspirantibus artius *BI*
32, 10 consule *add N: om BI*
35, 12 ipsorum *N:* suorum *BI*
35, 30 hispania *N:* hispaniam *BI*
39, 13 exercitus illam hannibalis *N:* exercitus illam iam annibalis *I*, exercitus pusilli iam hannibalis *B*
40, 14 urbem tantum non adoratam *N:* urbem tantam non adoratam *I*, urbem totam non inadoratam *B*
40, 28 summouebat *N:* summouerat *BI*
41, 14 utriusque castra *N:* utriusque classis castra *BI*

atque hi loci ita conparati sunt ut nullum dubium relinquant quin genuina lectio in *N* seruata non coniectura reperta, sed ex archetypo tradita, in *BI* autem partim neglegentia partim interpolandi libidine deprauata sit.

Quod modo propositis satis patefactum est, codicem *B* quantumuis egregium tamen uerba Flori non ita emendata exhibere ut codicis *N* auxilio egere possimus, id aliis quoque rebus luculenter demonstrari potest. neque certius equidem eius rei argumentum reperio quam lacunarum quibus uterque codex pari fere numero, ut ille ait, 'instructus est.'

In *N* magna illa lacuna p 110, 1—24 in codice archetypo unius fere paginae spatium expleuisse uidetur, aliis locis unum uersum librarium incuriose praeteruidisse litterarum ab eo omissarum par fere numerus indicat, ut conferenti patebit.

p 14, 15 iuuenes more siderum praeteruolauerunt
29, 20 quod uelocitas nauium mari iuuaretur
40, 26 tantum qd ab alpe descenderat aput metaurum
82, 6 iure rem publicam senatus exilio

p 101, 26 lituorum in suos sese circumegere
108, 8 caedes inprobaretur igitur Ciceronis
120, 19 repente ferro subiit et tunc quidem cae
121, 22 morte grauior ad id tempus indomitis.

duorum fere uersuum spatium explent quae omissa sunt

p 28, 23 domi luctatus est adeo difficile fuerat
dare Italiae caput his ducentis annis.

ibi uero quod uerbum *domi* praecedit *annis* causa fuit, cur librarii oculus aberraret, idemque locum habet p 107, 6 ubi *duo consules* propter sequens *duos* et p 108, 8 ubi uerba *et signis insedit examen* propter sequens *et* omissa sunt. praeterea paucis locis uerba quaedam neglegentia librarii omissa sunt, cuius excusationem nullam uidere licet, p 102, 15 *quod ipse bis fecerat;* 103, 10 *quo usque bellum;* 109, 17 *ac fortissimos;* 113, 17 *coepit non sibi.* et sane mirum foret, si uel ipsa neglegentia suam quandam normam sequeretur, a qua numquam aberraret. de singulis uocabulis hic illic omissis non est cur dicamus.

Omnia ea quae *N* omittit leguntur in *B*, in quo rursus alia desunt quae *N* habet. et maxima quidem lacuna est qua ea quae a uerbo *alias* p 118, 26 usque ad *Druso* p 119, 2 intercepta sunt; quo loco cum noua pagina incipiat, inter uertendum librarius aberrauisse uidetur. plerumque autem hice librarius in errorem inductus est ubi idem uerbum breui spatio interiecto repetitum uidebat, ut interiacentia omitteret.

p 19, 24	tantum hominum tantum agrorum *N*	tantum agrorum *B*
28, 4	nunc libertatem nunc pudicitiam *N*	nunc pudicitiam *B*
34, 1	maior quam uirorum est. ita sequens minor quam feminarum *N*	maior quam feminarum *B*
41, 25	annibal de scipionis exercitu praedicauerunt sed tamen annibal cessit *N*	annibal cessit *B*
47, 4	macedonum uiribus thracum ferociam thracum disciplina *N*	macedonibus thracum disciplina *B*
107, 5	grauis paci grauis rei *N*	grauis rei *B*
113, 15	imperatore pretium libidinum romanum imperium petit *N*	imperatore petit *B*

neque multum ab hoc genere diuersa sunt

p 25, 1 fortissimas gentes opulentissimas urbes *N*	fortissimas urbes *B*
38, 9 per samnium totum per falernos gauranosque *N*	per samnium gauranosque *B*

praeterea in *B* quoque quibusdam locis pauca uerba omissa sunt, ut causam oscitantiae nullam uideamus, p 63, 26 *Annibali sufficerint;* 85, 2 *dita nuce;* 85, 4 *ex obuiis;* 90, 18 *ac — electi;* 100, 23 *atque naualium;* 114, 8 *ad arbitrium;* 118, 6 *quam imperia.*

Hisce igitur locis bona nostra fortuna quae alter codicum omittit ex altero suppleri possunt. at p 5, 19 aperta lacuna est in *B* '*quattuor gradibus romae aetas*'. quae expleta quidem est in *N* '*quattuor gradus processusque inueniet. prima aetas*'; sed cum uerbum *gradibus* inmutatum sit, grauis oritur suspicio hanc lacunam ita ab interpolatore in *N* expletam esse. paullo aliter res se habet p 48, 24, ubi neuter codex uerba scriptoris plena exhibet, quae ex utroque quodam modo conponenda fuerunt. etenim in *B* haec tantum leguntur '*quia uulgo philippus persae filius uocabatur*', in *N* autem '*quia uulgo philippus ex similitudine philippi pseudofilippus uocabatur*'. non uidetur dubitari posse quin in codice quodam perantiquo quaedam prius omissa et postea adscripta fuerint, quorum pars in codicis *B*, altera pars in codicis *N* archetypo inserta est. ex utroque enim reponendum erat '*quia uulgo ex similitudine Philippi Persae filii Pseudophilippus uocabatur*'.

Et hoc quidem loco tam bene factum est ut alter codicum suppleat quod in altero omissum est, sed aliis quibusdam locis uterque in lacuna consentiunt. ita p 28, 8 de Maelio quaedam excidisse apertum est. p 34, 5 post *alias* quaedam omissa, neque cum Withofio *alia* legendum esse totius loci ratio persuadet. p 57, 3 desideratur eorum enumeratio quae in bonis regiis fuerint. p 59, 17 post *uenientem* quaedam excidisse patet, cum illud *uenientem* non habeat quo referatur. etiam p 62, 17 attentum lectorem lacuna fallere non potest. ibi *BN* habent '*frequensque in spectaculo rumor uictoriae cimbricae feliciter dixit*'. hic offendit iam quod rumor 'feliciter' dicit, id quod nec Florum ausum esse credo; etiam grauius est, quod sensus mancus est. statim enim addit '*quippe uelut elata montibus suis Roma spectaculo*

belli interesset, quod in gladiatorio munere fieri solet, uno eodemque momento, cum in acie Cimbri succumberent, populus in urbe plaudebat'. unde sumendum est factum esse aliquid in spectaculo gladiatorio, cui plaudebant spectatores, ita conparatum ut ad uictoriam Cimbricam referri posset; atqui huius rei narratio incuria librariorum omissa est. uerum hic locus etiam alio modo corruptus est. uerba enim '*quod in gladiatorio munere fieri solet*' eo loco quo in *BN* leguntur sensum plane nullum efficiunt. quid enim? utrum in gladiatorio munere fieri solebat ut urbs uelut elata montibus spectaculo belli interesset, an ut populus eodem momento, quo in acie Cimbri succumbebant, in urbe plauderet? aperte haec uerba pertinent ad illud *feliciter dixit,* quod re uera in gladiatorio munere fieri solebat et eo temporis momento egregii ominis fuit. neque casu factum esse potest, quod ea ipsa uerba quae transposita esse contendo unius uersus, quales supra uidimus, spatium inplent. neque uero inaudita res in Floro transpositiones. statim p 63, 13 uerba *glacie flumen equitatur* in *B* loco suo mota sunt, et p 32, 10 uerba *hostium* et *iam*, in quo *insulam* latere uidit Hauptius, locum mutarunt in *B*, in cuius autographo finem uersus occupasse uidentur. sed reuertor ad lacunas indicandas. igitur p 81, 4 post *confisus* quaedam de Mario a Floro narrata exciderunt, cum ea quae sequuntur ad Apuleium pertineant. etiam p 101, 21 quaedam post *amplior* omissa esse inde perspicitur, quod nec Caesarianorum impetus *amplior* dici potuit nec *eoque* habet quo referatur. similiter p 105, 17 ante *aliter saluus* quaedam deesse facile demonstrari potest. primum enim *saluus* non ad Antonium sed ad populum Romanum referri debet, cuius nulla mentio facta est; tum uero uerba *dum Antonius desciscit* apodosin suam requirunt. nec minus apertum est p 107, 6 ante *cui* quaedam de Octauiano omissa esse. denique p 120, 20 cum codices scribendum esse doceant '*et tunc quidem C. Caesar recreatus est ex uulnere in tempus, set*', quis non uidet excidisse narrationem de morte eius, quae non multum post secuta est?

Quod modo de lacunis obseruauimus, nunc *B* ex *N*, nunc *N* ex *B* suppleri posse, superesse tamen quae utrique communes ex antiquiore codice in *BN* translatae sint, idem de omni corruptionum genere ualet. permulta enim, quae in *B* corrupta sunt,

ex *N* qui recte scripta seruauit emendari potuerunt; sic quoque non pauca restant in utroque aut eodem aut diuerso modo deprauata quae coniectura sanari debent. atque cum in uniuersum *N* longe plurimis locis lectionem quam deprauatam inuenit temere interpolauerit, id quod quaeuis pagina docere potest, tamen ne *B* quidem ab eiusmodi interpolationibus liber est. quod certis quibusdam exemplis demonstrandum uidetur, ut codicis *B* indoles et quae ei cum *N* et utrique cum antiquiore illo codice ratio intercedat clarissime perspiciatur.

Vt nihil de eis locis dicam ubi uerbum aliquod in *B* ita additum repperimus ut intelligi nequeat cur id factum sit — ut p 16, 1 *Sallentini;* p 41, 14 *classis* — cum p 41, 1 recte legatur in *N* '*omni qua longissima Italia solo interiacente*', aperta interpolatione hoc in *BI* ita corruptum est ut scriptum sit '*omni qua longissimum fuit Italiae solo interiacente*'. tum p 45, 23 Histrorum rex, quem Aepulonem uocat Liuius XXXXI, 11 in *N* nominatur *apulo,* quod ipsum uocabulum in *B* a librario, cui corruptum uidebatur, mutatum est in *a populo*. p 51, 21 ubi Corinthus deleta esse dicitur *tuba praecinente,* antiquitus uox *tuba* corrupta erat in *turba*. igitur in *N* fideliter transcriptum est *turba praecinente;* quod cum nullum sensum habere intellegeret *B* librarius, mutauit quod recte traditum erat et scripsit *turba praecingente*. similiter cum p 53, 3 uocabulum *incruentis*, quod recte seruauit *N,* librarius codicis *B* in libro suo *ingruentis* aut inuenisset aut legere sibi uisus esset, ut tamen aliquod uocabulum poneret scripsit *ingruentibus*. p 100, 18 in *N* legitur *pompei aedem*, ubi librarius scribere uoluit *caedem;* sed *B* habet, quod primo aspectu mirum quantum distat, *pompeium regem*. scilicet cum *necem*, quod olim scriptum fuit, in *regem* errore corruptum fuisset, librarius etiam *pompei* mutauit in *pompeium,* quod cum uocabulo *regem* coniungendum putauit. haud multum diuersa ratione p 106, 9 *furtis,* quod recte scriptum est in *N,* cum *B* corruptum inuenisset in *fortis,* ut aliquem sensum eliceret scripsit *uiri fortis*. denique p 32, 4 quod recte in *N* legitur *sic quoque magna praeda*, id in *B* ita interpolatum est *sic quoque magnas praedas egit*.

His locis igitur, quibus *B* interpolationem prodit, *N* aut uerum aut ueri uestigia seruauit; sed multo pluribus interpolatio

utroque codice antiquior utrumque occupauit. horum recensum exemplo insigni aperiam. p 20, 17 in *BIN* legitur *ipsa caput urbium capua, quondam inter tres maximas romam carthaginemque numerata*'. ita neminem loqui posse, sed dicendum fuisse *cum Roma Carthagineque* tam apertum est, quam duo haec uocabula *Romam Carthaginemque* ab aliquo adscripta esse qui breuiter indicare uoluerit, quasnam urbes Florus intellexerit. sed errauit. Florus enim de Roma non cogitauit et tres praeter Romam maximas urbes ipse p 54, 9 Carthaginem Capuam Corinthum nominat, Ciceronem haud dubie secutus, qui de lege agraria II, 32, 87 '*maiores nostri*' ait, '*tres solum urbes in terris omnibus Carthaginem Corinthum Capuam statuerunt posse imperii grauitatem ac nomen sustinere*'.

p 23, 26 in *BIN* est '*nec uero tantum armis et in campo set consiliis quoque et domi intra urbem cum rege Pyrrho dimicatum est*'. hic uerba *intra urbem* non solum prorsus superuacanea sunt, sed uerborum ambitum, ita conclusum ut uerbis *armis et in campo* non nisi haec duo *consiliis et domi* respondere queant, misere turbant. itaque non dubium est quin Dukerus recte suspicatus sit *intra urbem* explicationis gratia uerbo *domi* ascripta esse.

p 49, 22 *BIN* ita legunt '*ne metu ablato aemulae urbis luxuriari felicitas urbis inciperet*'. quam moleste prius illud *urbis* inculcatum sit, quod ad explicandum uocabulum *aemulae* praeter omnem necessitatem additum est, recte sensit Freinshemius.

p 55, 11 quod in *BN* legitur '*quodque nemo uisurum se umquam sperauerat factum, ut fugientes Numantinos quisquam uideret*' sine dubio interpolatum est. iam primum uerbum *quisquam* prorsus inepte positum et ab aliquo additum est qui ex uerbo *nemo* in priore enuntiato posito pronomen adfirmatiuum adsumere nesciebat. sed illud quoque perquam moleste dictum est '*quod nemo uisurum se sperauerat factum, ut uideret*'. itaque credo etiam uerba *uisurum se* explicandi causa adscripta esse, totumque locum ita legi posse '*quodque nemo umquam sperauerat factum, ut fugientes Numantinos uideret*'.

p 73, 21 uerbum *sustulit*, quod *BN* habent, ferri non potest. nam cum ad uerba '*quadraginta milium propugnantium*' ex sequentibus uerba *iuuentute subnixam* necessario adsumenda sint, id tamen uerbo *sustulit* ita ut factum est interposito fieri nequit.

quare hoc potius ab homine additum esse censeo qui significare uoluit quale uerbum intellegendum sit.

Paullo diuersa interpolandi ratio est, qua duo loci corrupti sunt, de quibus breuiter dicam quod sentio. p 104 de Pompeii filiis post proelium apud Mundam uictoriam desperantibus Sextum se in Celtiberia abscondidisse narrat; '*Gneum*' ait '*proelio profugum — pugnantem, adeo nondum desperabat, interfecit*'. ubi uerba '*adeo nondum desperabat*' cum eis quae modo posuit '*uidelicet uictoriam desperantibus*' ita aduersa fronte pugnant ut non uideam quo modo ab eodem scriptore coniungi potuerint; praesertim cum is qui in fuga ab hoste adgressus pugna se defendit, ideo non desperasse dici nequeat. quare haec aliquem adscripsisse puto cui, quia pugnans interfectus esse narratur Gneus Pompeius, nota dignum uisum est quod antea desperasse dicebatur. alter locus legitur p 74, 28, ubi postquam narratum est Crassum uix captiuitatem morte effugisse, additur '*sic quoque relatum caput ludibrio hostibus fuit*'. tum quid de filio et de reliquiis exercitus factum sit traditur. denique haec adduntur '*caput eius recisum cum dextera manu ad regem reportatum ludibrio fuit, neque indigno. aurum enim liquidum in rictum oris infusum est, ut cuius animus arserat auri cupiditate, eius etiam mortuum et exangue corpus auro ureretur*'. nullam equidem causam inuenire possum cur de hac contumelia bis referatur eisdem fere uerbis intra tam paruum spatium repetitis. quod ultimo capite legitur praeterquam quod accuratius rem enarrat etiam Iordanis auctoritate tutum est. reliquum igitur est, ut quod priore loco legitur ab eo interpositum credamus qui quid de mortuo Crasso factum sit statim narrationi de morte eius subiungendum putauit idque breuiter indicauit. quae uerba ubi deleta sunt, id quoque consequimur, ut longe aptius quadrent quae de Crassi filio narrantur.

Aliis locis haud paucis facile cognosci potest in codice antiquissimo, ex quo tam *B* quam *N* deriuati sunt, quaedam explicandi gratia superscripta fuisse, quo factum est ut postea utrumque in uerborum ordinem a librariis describendo reciperetur. exempla memorabilia ita recensebo ut primum ea adferam ubi *N* utrumque seruauit, *B* tantum alterum utrum, et antiquum illum quem supposui codicem *X* notabo. uidebimus autem utramque lectionem aut simpliciter coniungi aut addita particula *et, ac, uel, aut.*

	B	X	*N*
p 29, 6	quatenus nec mole	nec mare quatenus nec mole	quatenus nec mare et nec mole
39, 23	saltem oculis	uel saltem oculis	saltem uel oculis
63, 22	in sinistrum	mare in sinistrum	in mare sinistrum
89, 10	ut in punica urbe	cimbrica ul in punica urbe	aut in punica aut in cimbrica urbe

sed longe frequentius utraque lectio tam in *B* quam in *N* reperitur, aut plane eodem modo transcripta aut leuiter inmutata. satis memorabile exemplum statim initio animaduertere licet p 6, 27. ubi cum olim scriptum extaret ‘*cuius dum angustias Remus increpat saltu*’, primum *increpat* explicatum est adscripto uerbo *inridet*, tum *increpat saltu* addito *transiluit*. hoc adsumpsit *B* et scripsit *cuius* ‘*dum angustias remus increpat saltu transiluit*’, illud *N*, qui etiam pronomine addito ad structuram expediendam ita scripsit ‘*cuius dum inridet angustias remus idque increpat saltu*’. sed nihil magis apertum esse potest quam quod p 30, 18 extat. ibi cum scriptum fuisset ‘*expeditioni tantae superfuit*’, explicandi gratia additum erat *superuixit*. itaque in *B* extat ‘*superfuit ut* [hoc est *uel*] *superuixit*’, in *N* ‘*superfuit et superuixit*’, in I^h autem *superfuit* et in I^p *superuixit*. quod Florus haud uno loco posuit *sic quoque* (p 32, 4 cf 74, 28) id bis adscripto *tamen* explicatum erat; itaque cum p 21, 16 in *BI* sit *sic tamen quoque*, in *N* uero *tamen sic quoque*, et p 122, 11 *BN* habeant *sic tamen quoque*, uel ordo uerborum suasit ut *sic quoque* reponerem. sed satis erit exempla per se clara recensere

	X	*B*	*N*
p 30, 8	proelii prae tanta huius uictoria leue	prae tanta uictoria leue huius proelii	prae tanta huius uictoria leue huius proelii
31, 4	prima prooemium belli fuit ciuitas	prima premium belli fuit ciuitas	prima belli praemium fuit ciuitas
40, 1	domus sedes et patria	sedes domus et patria	sedes et domus et patria

	X	B	N
p 106, 7	obnoxium tenerum et oportunum iniuriae	tenerum et obnoxium et oportunum iniuriae	tenerum et obnoxium et oportunum iniuriae
121, 21	ex arboribus taxeo exprimitur	ex arboribus taxeo exprimitur	ex arboribus taxeis exprimitur.

huc pertinet quod cum p 106, 25 olim traditum fuerit *arma cierat* idque explicatum *in arma reuocauerat, B* quidem totum hoc glossema recepit, *N* autem uerae lectionis et simul interpolationis uestigia seruauit scribendo *in arma ierat.* uno autem loco in antiquo illo codice corrupta lectio etiam glossemate explicata fuisse uidetur. nam quod p 84, 13 in *N* legitur *utcumque,* id sensum nullum habere diu perspectum est, quod autem *B* praebet *id qualitercumque,* hoc nihil nisi interpretationem uerbi *utcumque* esse uel additum *id* [*id est*] demonstrat. antiquitus igitur pro eo quod uerum esse puto '*hucusque*' errore scriptum *utcumque* idque postea explicatum est.

Aliis locis in *X* non explicationes adscriptae erant, sed uariae lectiones, ita ut uel error librarii corrigeretur uel diuersa lectio undecumque nata adnotaretur; unde idem quod in glossematis factum esse uidimus hic euenit, ut utraque lectio in *BN* transferretur. quod quo clarius perspiciatur primum ea exempla conponam quibus *N* utramque, *B* alteram utram tantum lectionem seruauit.

	B	X	N
p 16, 25	inlatam	am inlatum	inlatumam
20, 20	armis et	is et armatam	armatam misit
24, 21	senatum regum esse	deum senatum regum esse	senatum regnum deum esse
30, 15	insessum ab hostibus.	infestum insessum ab hostibus	infestum et incessum ab hostibus
32, 18	praedae — fluitarent	frustarentur praedae — fluitarent	praedae — frustarentur et fluitarent
44, 25	sipylum	sipylum spilum	sipylum et spilum

	B	X	*N*
p 45, 24	capitis errore lapsaret	capitis errore (iactaret) lapsaret	capitis et iactaret errore lapsaret
47, 11	perrhaebosque		per acerbos dubiosque
72, 23	britanniam transit	britanniam (transit) petit	britanniam petit in britanniam transit
92, 24	paenitentia	(pestilentia) paenitentia	paenitentia pestilentia
93, 19	in praesentem reum	in praesentem (parricidam) reum	in praesentem parricidam in praesentem reum

atque his quidem locis *B* ex duabus lectionibus ueram seruauit: est uero etiam ubi prauam adoptauerit.

	X	*N*	*B*
p 44, 10	ducem (ageret) gereret,	ducum genere agere uideretur	ducem generet
86, 15	ad (uexillum) auxilium uocatis.	ad uexilium ad auxilium uocatis	ad auxilium uocatis
53, 20	summae uir (astut) audaciae	summus uir astutus et audacia	summae uir audaciae

hoc ultimo loco enim Olyndici audaciam non posse praedicari apertum est, cum in eo quod uaticinanti similem se gerebat nulla audacia perspiceretur, sed astutia. tum quod statim narratur 'pari temeritate' castra consulis adiisse, sic demum intellegitur; temeritas enim Olyndici par fuit astutiae. praeterea quibusdam locis *B* utramque lectionem coniunxit, cum *N* alteram utram elegerit, aut ueram ut hisce exemplis

	N	X	*B*
p 44, 4	conuentus fortiter indixisse	contentus fortiter (induxisse) indixisse	indixisse contentus fortiter induxisse
102, 25	armamenta	arma (menta)	arma et armenta
106, 9	hereditatem	(hereditatem) heredem	et heredem et hereditatem

aut prauam ut hisce

	N	*X*	*B*
p 37, 17	et ipse et exercitus	et $\overset{\text{ipsius}}{\text{ipse}}$ et exercitus	et ipse et ipsius exercitus
86, 20	inde alia castra	inde alia $\overset{\text{uareniana}}{\text{castra}}$	inde alia castra uareniana castra
90, 2	quid	$\overset{\text{id}}{\text{quantum}}$	quantum id

nam p 37, 17 inprobo iam quod lectionem *B* recepi et recte scripsisse Dukerum puto ‘*et ipsius et exercitus*’. sed huc quodam modo pertinere uidetur p 63, 13, ubi quod in *B* legitur *causamumque* uno uocabuli monstro coniunxit quod in *N* legitur *caucasumque*, quod aperte deprauatum est, et quod uerum est *Haemumque*, qualis corruptela ex eis quae de codice *X* dicta sunt satis bene explicari potest. uno autem loco tam *B* quam *N* utramque lectionem seruarunt. nam p 119, 10 cum in *B* legatur ‘*ne perdita quidem aut prodita — coniuratione*’, in *N* uero ‘*ne praedicta quidem et prodita — coniuratione*, numquis dubitat quin in *X* scriptum fuerit *ne* ‘$\overset{\textit{prodita}}{\textit{praedicta}}$ *quidem — coniuratione*’, et uerum sit solum *prodita?*

Reliqui sunt pauci quidam loci quorum similis quidem corruptela est, sed non tam simplicis explicationis. quod p 69, 7 in *B* legitur ‘*Creticum bellum — nos fecimus sola uincendi nobilem insulam cupiditas fecit*’ duarum lectionum uestigia aperte monstrat. nam si quis uerba *nos fecimus* ut per errorem inlata delere uelit, obstat *N*, in quo scriptum est ‘*Creticum bellum — nos fecimus sola uincendi nobilem insulam cupiditate*’. scilicet librarius inconcinnum illud *cupiditas fecit* ita mutauit ut cum eis quae praecedunt *nos fecimus* iungi possit. in *X* igitur utrumque scriptum fuisse apparet ‘*Creticum bellum — nos fecimus sola — cupiditate*’, et ‘*Creticum bellum — sola cupiditas fecit*’. quorum utrum uerum sit haud ita facile dixerim.

p 79, 7 quae leguntur ‘*ne populus gentium uictor orbisque possessor extorris aris ac focis ageret*’ per se spectata totius loci structuram arte conpositam turbant. nam cum tribus enuntiatis inter se similibus ambitus concludatur, nihil quod his uerbis simile sit secundo atque tertio adiungitur, id quod ferri nequit. tum haec uerba hoc loco prorsus superuacanea sunt; accedit

quod p 80, 2 aptissimo loco leguntur '*ne populus gentium uictor orbisque possessor laribus ac focis suis exularet*', quae tam breui spatio bis poni non potuisse iam diu perspectum est. qua in re Graeuium miror qui, cum Salmasius rectissime monuisset priore loco ea uerba perperam posita esse, posteriore potius deleri uoluit. sed nemo explicauit qui factum sit ut haec uerba mutata lectione in illum locum translata sint. ex eis quae de *X* disputata sunt apparet, cum in eo scriptum fuisset

ne populus gentium uictor orbisque possessor laribus ac focis suis exularet

adscriptum esse pro uaria lectione, fortasse in margine aut ima pagina

ne populus gentium uictor orbisque possessor extorris aris ac focis ageret

quae postea errore describentis falsum locum occuparunt. itaque hic quoque duas eiusdem loci lectiones traditas habemus, quarum utra uera sit anceps iudicium est.

p 91, 17 in codice *N* haec leguntur, quae emendatis leuibus quibusdam mendis adscribam '*hi copias uiri diu et ancipiti semper acie attriuere, nec tamen prius bello quam suorum scelere et insidiis extinctus est. copias eius prope tota hispania persecuti diu et ancipiti semper acie domauerunt*'. Graeuius cum uideret eandem sententiam eisdem fere uerbis conceptam non potuisse a Floro in tanta breuitate repeti, uerba '*diu et ancipiti semper acie domauerunt*' et '*copias eius*' deleri uoluit tamquam interpretamenta, et quae restant '*prope tota Hispania persecuti*' transponenda post '*hi copias uiri*' censuit. uerum ita locum restitui non posse docet *B*, in quo haec ab initio leguntur '*hi copias adtriuerant uiri diu et ancipiti semper acie pugnatum est*'; quae sequuntur non differunt ab eis quae modo ex *N* adscripsi. apparet iam uerba *pugnatum est*, quae *N* omisit ut aliquo modo structuram efficeret, tamquam maioris ulceris uestigia relicta esse; et ex eis quae de codice *X* dicta sunt certius etiam colligi potest uerum uidisse Graeuium, cum putaret uerba '*diu et uaria semper acie*' pro uaria lectione adscripta esse illis '*diu et ancipiti semper acie*'; sed melius iam utrumcumque uerum est ad *pugnatum est* pertinere censebimus. tum illud quoque recte perspexit, uerbis '*hi copias adtriuerant uiri*' eodem modo olim adscripta fuisse quae sequuntur '*copias eius*

domauerunt? sed cum traiectione locus, ut uidimus, sanari non possit, nihil reliquum est, quantum uideo, nisi ut putemus utroque loco quaedam excidisse, ubi iam inportuna illa interpretamenta intrusa sunt.

Haec, credo, ad iudicium de codicibus *BN* eorumque fonte satis certum ferendum sufficient, unde tota criticae in Floro exercendae ratio suspensa est. apparet enim in uerbis scriptoris constituendis *B* (uel *BI*) eius esse auctoritatis ut relinqui non debeat nisi eis locis, quibus quod ibi traditum est, si per se spectetur, corruptelae suspicionem mouet. tum demum *N* ita in auxilium adhibere licet ut caute circumspicias, utrum ea quae meliora tradere uidetur ex incorrupto fonte deducta sint, an ab interpolatore profecta ueri specie fallant. uel sic tamen haud paucos locos restare in utroque codice etiam eis uitiis, quae ex neglegentia librariorum oriuntur, corruptos et coniectura emendandos facile credet nisi quis codicis alicuius optimi speciem sibi fingit, quem a uitiis scilicet immunem in omnibus tuto sequi liceat, quales nondum reperti sunt: Flori certe codices, tam *B* quam *N*, uitiis cuiusque generis pluribus inquinati sunt, quam quae industria editorum tolli potuerint. haec per sua genera discreta recensere, ut inde emendandi quasi quaedam lex atque norma perspiciatur, longum est neque uero necessarium. pleraque enim talia sunt, qualia in omnibus scriptoribus obseruare licet. quamquam unus quisque fere etiam in uitiis quiddam sibi proprium habet. ita, ut hoc utar, Flori codices conpendiis scripturae male intellectis non nisi raro et certis fere exemplis corrupti sunt. omnium frequentissime littera quae est *m*, cum lineola superposita indicaretur, uel omissa uel posita praue est. itaque paenitet quod p 87, 5 reliqui *in honore*, cum ceteris locis Florus ut plerique omnes *in honorem* scripserit cf p 8, 15. 64, 26. praeterea semper scriptum fuisse uidetur *cos*, unde cum hic illic *consul* scriptum esset pro *consule*, aut *consule* pro *consul*, etiam nomina falso casu posita sunt. tum compendio *R*· tam *Romam* quam *Romanum* notatum fuisse docet p 9, 9, ubi cum *B* habeat *R*· in *I* recte scriptum est *romam*, in *N* praue *romanum*. similiter p 102, 30 *N* recte habet *romanae*, *B* corrupte *romae*, contra p 107, 20 recte in *N romae* legitur, at in *B romana*. quare non dubitaui p 19, 6 *Romam urbem* et p 87, 12 *urbe Roma* reponere, cum codices hic

urbe romana, illic *romanam urbem* praebeant. porro *PR* nota adhibita fuit ad populum Romanum significandum nullo casuum discrimine facto. itaque p 111, 15 in *N* recte scriptum est *populi romani*, in *B* uero *populus romanus*. quam neglegentiam postea etiam interpolationes peperisse nemo mirabitur. p 123, 9 scriptum fuit formula totiens a Floro usitata *uictorem gentium PR;* postquam *PR* a librario lectum fuit *populi romani* consequens erat pro *uictorem* scribere *uictoriam* ut in *N* factum est. eodem modo peccatum est in *B* p 24, 28, ubi cum librarius inuenisset *uictorem PR* et legisset *populi romani*, uerbum excidisse ratus unde aptus esset genetiuus, scripsit *uictorem exercitum populi romani*. qua obseruatione usus sum ad coniecturam de loco quodam faciendam, quae nescio an nimis audax quibusdam uideatur. etenim p 38, 15 haec in *B* leguntur

quamuis tum pudor seruili pugnaret exercitu

quae ita tradit *N*

quamuis tum o pudor manus seruili pugnaret.

atquin nullus hic pudori locus esse uidetur, ubi omnia referuntur quae populi Romani fortem et tenacem propositi animum atque 'horribilem fiduciam' testantur; neque uero pudendum erat eorum auxilium qui 'de seruis se uirtute Romanos fecerant'. accedit quod Florus p 15, 1 neque *pudor* neque *o pudor* dixit, uerum *pro pudor*. itaque ueri speciem habere mihi uisa est suspicio, lectiones *pudor* et *o pudor manus* suadere, scriptum fuisse olim *populus romanus*, quod quam grauiter repetatur ante *seruili exercitu* non est quod moneam. deinde *imper* etiam scriptum fuisse uidetur pro uerbis *imperium* atque *imperator*, cf p 113, 15. itaque cum p 63, 1 scriptum fuisset *interim peridone*, id in *B* ita corruptum est *inter imper imperium donec*, accedente repetitione earundem litterarum, qua nihil in hoc codice frequentius est. inde explicandum uidetur quod p 89, 2 pro simplici *imperator* in *N* legitur *miser imperator*. *imper* enim postquam corruptum est in *miser* postea utraque lectio coniuncta est; quo de genere iam dictum est. apparet iam quam probabili coniectura Hauptius p 43, 27 emendauerit *imperator Annibal* pro eo quod *BN* habent *miser Annibal*, id quod eo loco prorsus ineptum est; et sane eam recipere debueram. denique p 7, 13 ex *nom*, quod erat *nomine*, factum est *non*. sed nolo haec longius

persequi; id unum addo, nullum in Flori codicibus frequentius esse uitiorum genus quam litterarum earundem uel inter se similium aut omissionem aut geminationem neglegentia librariorum ortam, cum e codice continua scriptura exarato alii describerentur. lectionem hoc modo deprauatam mox saepe per interpolationem grauius etiam corruptam fuisse non opus est monere. sed hac obseruatione certissimam longe plurimorum qui in codicibus corrupti leguntur locorum niti restitutionem non necessarium uidetur exemplis demonstrare, quippe quod attentum lectorem quaeuis una fere pagina doceat.

Cum qui ante Seebodium Floro restituendo operam dederunt *B* uti non potuerint, hic autem noluerit, nemini mirum accidet, si longe plurimis locis, quibus restituendis codices non suffecerunt, nouas aut a me aut ab amicis inuentas emendationes in ordinem uerborum receptas inueniet. non quasi egregiorum uirorum tentamina spreuerim, sed cum eis a codice *N* siue etiam a codicibus recentioribus proficiscendum esset, hac quidem uia raro tantum uerum inuenire potuerunt. eo minus horum nomina tacere decet ubi eorum ingenio uera lectio debetur. quare cum paucis quibusdam locis meum aut amicorum nomina eis adscripserim quae alii iam recte correxerant, eos ne cui iniuriam faciam hic, quantum quidem animaduerti, omnes recensebo. igitur p 29, 14 *tamen tanta* scribendum esse uidit Dukerus, cum *tanta tamen* habeant *BN* — nam errore contraria ibi adnotantur — p 43, 10 *Asia* addidit iam Seebodius; p 47, 9 *tamen* et p 61, 12 *ueluti* Heinsius inuenerat, denique p 88, 18 *incendia* Perizonius. quodsi iure mireris uiros doctos quamuis codice Bambergensi destitutos tamen tot locis ad uerum peruenisse, accedit, quod ad merita eorum recte aestimanda haud neglegendum est, non exiguus locorum numerus quibus id quod coniectura adsecuti erant codicis *B* testimonio iam conprobatum est. quos locos hic recensere placuit, non quo famam illustrium uirorum augeam, cuius discrimen non in singulis coniecturis uersatur, sed ut argumento sint contra ignauorum superstitionem qui nihil contra codices audendum esse clamant et cum corruptissima quaeque intellegere sibi uideantur, ratione atque arte uerum inueniendum esse non intellegunt. atque superstitio ipsa fore ut uincatur qui sperem? quae iubecillitatem animi atque inuidiam socias habere

solet uinci nescias. sed tamen nihil neglegendum uidetur quo effici possit ne ista labes in hoc certe studiorum genere latius serpat.

Coniectura igitur codice *B* iam conprobata inuenerunt p 7, 18 Freinshemius *furentibus;* 21, 22 Heinsius *Caledonius;* 41, 3 Tollius *oppresserint;* 44, 3 Lipsius *contentus;* 49, 19 Heinsius *de bello;* 50, 21 Lipsius *sibi;* 53, 10 Gronouius *prouocator;* 60, 10 Freinshemius *demigrarent;* 61, 2 Heinsius *si;* 62, 17 Gruterus *laureatas;* 65, 19 Salmasius *fames;* 65, 25 Dukerus *apparatu;* 70, 1 Lipsius *id;* 71, 9 Heinsius *reduxit;* 71, 22 Freinshemius *concitauit;* 71, 23 Lipsius *inuasere;* Gronouius *legatos;* 86, 6 Graeuius *etsi;* 87, 28 Lipsius *tum;* 93, 18 Lipsius *innocentius;* 95, 16 Gronouius *hic;* 96, 30 Tollius *tuta;* 101, 27 Salmasius *nec;* 102, 9 Heinsius *noctem;* 103, 12 Heinsius *quos;* 104, 19 Salmasius *generos;* Perizonius *paruolis;* 107, 8 Lipsius *ingenia;* 107, 23 Lipsius *uideret;* 108, 9 Freinshemius *Ciceronis consiliis;* 108, 10 Tollius *ferirent;* 119, 2 Gruterus *suspiciebant;* 119, 18 Heinsius *uni os obsutum;* 119, 19 Graeuius *desisti;* 121, 11 Vossius *tripertito.*

Equidem ubicumque loci alicuius corrupti emendationem aut ab alio factam uidi aut ipse repperisse mihi uisus sum non dubitaui eam in ordinem uerborum recipere; ubi nihil certi suppetebat intactum reliqui quod traditum erat. poteram his locis crucem figere, ut lectorem de mea sententia admonerem; quod omisi, quia plerumque quamuis certum sit adponendam esse notam, quo potissimum loco poni debeat, ut uitii sedem indicet, incertum est. iam non uereor equidem ne quis credat, me talia uera atque sincera habuisse qualia sunt quae intacta reliqui p 61, 20 *uenere illi quam et in barbaris multa uestigia;* p 110, 18 *possessio manere non poterat.* uerum haud pauca alia restant, quae quamquam non tam aperte corruptelam produnt, tamen uix sana esse uidentur. quibusdam locis ita conparatis coniecturam adnotaui, quae cum certa non uideretur tamen ueri speciem quandam praebere aut certe uitii suspicionem declarare posset. sed parcissimus fui in talibus adferendis, ne eius leuitatis, quae subitaneis et incertis suspicionibus artem criticam promoueri posse putat, speciem suscipere uidear. itaque non solum ex eis, quae ipse excogitaui, sed eorum quoque quae ab amicis me-

cum communicata in ordinem uerborum recipi non poterant, pleraque silentio praetermisi, ne amicis egregiis iniuriam facerem, si ea quae ipse certis de causis inprobarem publice tamen proponerem.

Video autem pauca quaedam de orthographia adicienda mihi esse, qua de re cum nuper demum accuratius obseruari atque subtilius quaeri coeptum sit, in eo ego potissimam curam adhibui ut quid traditum esset etiam in hoc genere ubique constaret. neuter enim codicum antiquam scribendi rationem satis constanter expressit, sed quibusdam exceptis, quae omnes codices praeter recentissimos exhibere nunc satis constat, in utroque antiquae orthographiae tantum uestigia quaedam quasi inuitis librariis relicta sunt. quam librorum inconstantiam ego quoque seruandam ratus, ubi ambo in antiqua scribendi ratione conspirant, eos secutus sum perpaucis quibusdam exceptis, quae cum semel tantum uel bis scripta extent, adnotanda potius quam recipienda duxi. ubi inter se discrepant, *B* potissimum expressi, nisi quod ex *N* quoque ea recepi quae recte tradita esse certo constat. hac uia ut ingrediendum putarem duae maxime causae fuerunt. primum enim antiquos scriptores non eam in hisce rebus constantiam seruasse qua nos uti solemus persuasum est, et quamquam ea scribendi ratio quae per codices nobis tradita est ad grammaticos potius quam ad scriptores ipsos referenda est, tamen qua seueritate leges et normae ab his inuentae antiquo tempore exactae sint haud quaquam constat. tum uero nondum accurata codicum peruestigatione et singularum rerum perscrutatione eo peruentum est ut de permultis quae huc pertinent satis tuto decernere liceat, quod ante quam fieri possit singula quaeque diligenter obseruanda et colligenda sunt, ut inde quantum quidem fieri potest certae leges deducantur. et e codice *B* nihil fere uel in hoc genere praetermissum esse promiserim, ex altero *N* si quid forte neglectum est, id me nolente factum est.

De quibusdam tamen hic pauca monenda duco. quod in omnibus fere codicibus obseruare licet, ut *e* et *ae* promiscue scribantur, id in utroque codice locum habet, ita ut adnotare noluerim, nisi perpaucis locis ubi ad rem fortasse facere possit. tanta enim uarietas, tanta etiam in apertissimis rebus confusio obtinet ut ubique uel hoc uel illud prout ratio iubet tuto reponere

possis. neque desunt *praetium, quaerella, praehendere, aeminere* et si quae sunt similia, in quibus *ae* sonum indicare quo *e* pronuntiatum sit monuit Lachmannus ad Lucretium p 339. 384. ad similem causam reuocandum uidetur quod *doleum* habent *BN* atque *reuiuescere, ingemescere,* tum quod *purpora, consolaris, scopolus* in *B* legitur, *fistola, iacolatus* in *N*, cuius generis similia quaedam adnotauit Lachmannus ad Lucretium p 19. illud peruulgatum est quod *i* et *y* saepissime permutantur et utraque littera peruerse ponitur, maxime quidem in nominibus Graecis, sed etiam in Romanis. et Sullae nomen cum modo *Sylla* modo *Silla* semel uero *Sulla* in *BN* scribi uiderem, semper *Sulla* scribendum duxi. illud uero quo modo explicandum sit nescio, quod p 23, 18 in *B* scriptum est *sybarusinis campis*, unde in *I* *sub haros in his campis*, in *N* uero *sub arusinis campis* factum est. quamquam enim de Arusinis campis dubitari nequit, *sub* tamen aperte falsum est — nam *sub campis pugnare* ut recte dici possit Dukerus exemplis suis non euicit — et ex *syb* illo factum, quod corruptelam indicat, quam probabiliter emendare nequeo. facile quidem suspiceris librarium quendam de Sybari cogitasse et quod p 63, 13 factum esse uidimus, ut pro Haemo Caucasus inferretur et inde monstrum lectionis *causamtum* oriretur, idem hoc loco euenisse. uerum inde nondum explicatur, qui factum sit ut praepositio quae est *in*, qua non uideo quo modo carere possis, omissa sit. accedit illud, quod p 51, 26 ubi *N* exhibet *iniuria*, quod rectum esse non potest — quis enim urbis euersionem dixerit iniuriam ei inlatam? —, in *B* scriptum est *syiniuria*. et *ruina* quidem, quod Hauptius inuenit, perquam probabile est, sed mirum illud *sy* rursus explicari nequit. at quod p 69, 16 *Eleythernan* legitur quasi ex eius consilio, qui in Graecis uocabulis ut tutius semper *y* litteram ponendam duxit, id typothetae errore factum est.

Discrimen illud, quod inter *B* et *N* intercedit, etiam in quibusdam rebus orthographicis obseruare licet. ita cum antiquitus non scribere liceret *uu* sed *uo*, *N* in eis uocabulis quibus hasce litteras *l* excipit non constanter quidem sed plerumque tamen *uo* scribit; sunt autem haec fere *Volcanus, uolgo, uolnus, Volsci, Volsinii, reuolsus, uoltus, Volturcius*. *B* contra semper *uu* exhibet nisi quod *Volturcius* et p 63, 13 *Volso* scribit. *N* pro

quu in archetypo suo inuenit *cu*, ut demonstrant *secuntur* p 46, 20, *oblicus* p 95, 15, *ecum* ut e uestigiis apparet p 74, 1. in eo libro unde *B* deriuatus est potius *quo* scriptum fuisse inde concludas quod p 10, 30 *quo* pro *quoi*, p 71, 26 *quodtam* pro *cottam* habet; ceterum in *B* fere *quu* scribitur, ut *alloquutus*, *sequutus*, et *cum* saepe in *quum* mutatum est. eodem pertinet quod *B* scribit *quottidie*, *N* uero *cotidie*, uterque autem *cotidianus*. quid quod *N* *Esquilinam* dicit *Escilinam*.

Magna uarietas atque licentia in aspiratione uel ponenda uel omittenda in *B* potissimum est. *Annibal* perpaucis locis, quos adnotare superuacaneum duxi, exceptis semper in *B* scribitur et *Annio*, sed *Hasdrubal;* atque ab amico quodam edoctus sum Annibalis atque Hasdrubalis Punica nomina a litteris inter se diuersis incipere. *N* uero *Hannibal*, *Hanno*, *Hasdrubal* habet. ut pauca quaedam exempla adferam, *hac* pro eo quod est *ac* saepissimime scribit *B*, unde p 69, 26 *hac nominibus* extat pro *agnominibus*, ubi *N* omisso *hac*, quod sensum non habebat, *nominibus* scripsit. et in *habundare* uterque consentit; *hagmina*, *hasperrimum*, *hoccasio*, *hodium*, *hopulentia*, *hostendere* in solo *B* inuenitur, cum *N* propria sint *hrea*, *hrenus*. contra *umor* recte uterque habent, *umens* et *umerus* e solo *N*, sicut *orribile*, *orrens* e *B* scripsi. sed *asta*, *oratius* uterque habet, *abuit*, *ereditas B*, *ortari N*; rursus *conpreensis*, *ueemens*, *traeret*, *abstrai B*, in quo haud raro supra lineam aspirationis nota ꜧ addita est, quam etiam in Iuuenalis codice Pithoeano eodem modo adhibitam inueni.

Illud uix opus est monere, *b* et *u* in utroque codice saepissime inter se mutari. summa inconstantia est in adhibendis litteris *d* et *t;* itaque *sed* atque *set*, *apud* atque *aput*, *adque* uel *atque*, *adquin* uel *atquin* — nam *atqui* nusquam in Flori codicibus legitur — eadem inconstantia scripsi, ita quidem ut rariorem formam reciperem ubi codices discreparent. sed quod in *BN* aliquotiens legitur *aliquod* pro *aliquot* recipere nolui, idemque adnotare satis habui *quit*, *illut* quae hic illic leguntur in *BN* sicut *aliut* in *N*, *quot* et contra *inquid*, *reliquid*, *simulad*, *capud* in *B*, in quo saepe quod prius scriptum erat *d* uel *t* postea mutatum est. quibusdam locis *N* *p* ante *s* scriptum seruauit ubi uulgo *b* scribi solet in *opscene*, *opsessa*, *Opsidius*, *pleps*, ante *t* seruarunt *BN* in *optulit*, in *optrito B* solus.

Nihil magis usitatum est quam quod *f* et *ph* ita inter se commutantur, ut altera utra littera loco non suo ponatur et Graeca nomina *f*, Romana *ph* habeant, ut *Phalisci*, *Phaesulae* in *B* scribitur. illud uero mirabile quod in *B* constanter *phoedus* ut in Mediceo Vergilii Aen X, 498 *phoede* scriptum est.

K litteram in *kalendae* et *kapita* seruauit *B*.

Quod nuper demum uindicatum est *thensaurus* habent *BN*, *uicensimus* et quae similia sunt *B* solus. idem scribit cum uulgo *nactus*, at in *N* legitur *nanctus*.

In quibusdam uocabulis *B* falso *t* ponit, ubi *c* littera scribenda erat, qualia sunt *internitio*, *Mutius*, *sautius*, *sotius*.

In eis uocabulis in quibus *ex* praepositio uerbo praeposita est, quod a littera *s* incipit, *BN* hanc litteram constanter omittunt; scribunt igitur *expectare*, *expirare*, *exultare*, *exuperare*, *exurgere*, *extinguere*. in *B* uero quibusdam locis, ubi *n* littera *x* sequitur, *c* interposita est, ut scriptum sit *adiuncxerant*, *coniuncxerint*, *extincxerat*. nescio an pronuntiandi ratio causa sit, cur in *B* scriptum inueniatur *Xerses* et p 120, 16 quamuis corrupte *Artaxerses*; similiter p 55, 23 *uiserunt* in *B* scriptum est pro *uixerunt*. pronuntiatio certe effecit ut litterae in quibusdam uerbis geminarentur, ut *l* in *Amullius* (*B*), *Catillina* (*N*), *Duillius* (*BN*), *m* in *ammissus*, *ammissio*, *Cummanus*, *Flamminius*, *immitari*, *Nummantius* (*B*), *s* in *Hisspania* (*B*); et haec quidem praue scripta sunt, recte uero *comminus*, *mercennarius* praebent *BN*. contra *B* peccat simplici littera posita in uerbis *comeatus* et *Thesalia*; nam *oportunus* quod in eodem legitur in antiquis codicibus hoc modo scribi solere sero ab Halmio monitus animaduerti.

Quod uel ex hisce speciminibus satis apparet, antiquam scribendi rationem in neutro horum codicum constanter seruari, ut inde restitui possit, et uero in ipsis antiquitatis uestigiis seruandis diuersam utriusque originem discerni posse, idem in aliis quibusdam rebus similis naturae obseruari potest. ita in Graecis nominibus formae Graecae in neutro quidem codice constanter traditae sunt, longe saepius autem in *N* inueniuntur quam in *B*. accusatiuos tertiae declinationis plurales nunc in *es* nunc in *is* exeuntes *BN* exhibendo haud quaquam inter se conspirant. *B* proprium est *pote est* saepius pro *potest* scriptum; *N* seruauit

poteretur intactum, quod in *B* semper correctum est. sed sufficiunt haec, quae facile augeri possent, si opus esset.

Eis enim quae hucusque disputaui uiam atque rationem firmare uolui, qua Flori uerba restituere conatus sum, quatenus id librorum testimoniis diligenter et ad artis criticae leges tractatis effici potuit. ut officio critici plene satis fieret accedere debebat rerum a Floro traditarum accurata pertractatio, qua sola multis locis ad liquidum perduci poterit, quid ab eo scribi potuerit. quantus enim errorum grauissimorum et paene incredibilium in hominum atque locorum nominibus, in tempore conputando, denique in omnibus quae fidem historico faciunt rebus in hoc libro commissorum numerus sit, satis per eius interpretes atque historiarum scriptores notum est neque ulla per exempla demonstratione eget. quamquam igitur nemo dubitare potest quin a Floro errores satis magni expectari possint, semper tamen inquirendum erit, utrum errorem aliquem ipsi Floro an librario inputare debeamus, ne aut huius uitia emendare neglegamus aut illius ignorantiam corrigamus, quorum utrumque criticum pariter dedecet. uerum de hac re certum iudicium ferri non potest nisi quis accurate inuestigauerit, qua diligentia et cura, quo iudicio et prudentia Florus singula tradiderit, quam in eis fidem mereatur, quod praeclaro exemplo in Cornelio Nepote Nipperdeius perfecit. tum demum quatenus erroribus Florus probabiliter liberari possit diiudicare licebit. hanc uero ei operam praestare res meae non sinebant; quare ab historica crisi prorsus abstinui, contentus ei qui hunc laborem suscepturus est certa fundamenta iecisse, a quibus tuto proficisci possit. hinc etiam quaestio, quae est de fontibus quibus Florus usus sit, soluenda erit. cum codices, etiam *BN*, hunc libellum epitomam de T. Liuio inscribant, non defuerunt qui contenderent Florum nullo praeter Liuium historiarum scriptore usum, sed ab eo solo mutuatum esse, quae rhetorice exornaret. quod qui nuper acerrime defendit Franciscus Ritterus in annalium ab antiquariis Rhenanis editarum fasciculo XVII p 1 sqq, is ea leuitate, qua difficillimas quaestiones facillimas sibi reddere solet, etiam hanc rem peregit. quasi oblitus esset, quot locis a Liuio diuersa Florus tradidisse conuincatur sicubi Liuium ipsum conferre licet, ille quaecumque apud Florum solum relata leguntur, quia Liuium iam adhibere

non licet, pro testimoniis mere Liuianis haberi iubet. denique cum Florus de morte C. et L. Caesarum narret, quo usque Liuii libros non processisse ex epitomis illorum, quo unico testimonio uti licet, efficitur, Ritterus ex eo ipso quod Florus has res narret eas a Liuio quoque traditas esse ut sequatur postulat. de hac igitur re ante quam iudicetur accuratius quaerendum esse patet. uereor autem ne titulus qualis in codicibus legitur in hac quaestione nullius fere momenti sit. equidem certe non possum mihi persuadere eum ab ipso Floro libro suo inpositum esse, cum in praefatione, ubi de consilio operis a se suscepti agit, ne uerbo quidem Liuii meminerit, quod facere debuit, si eum tamquam fontem e quo sua omnia hauserit existimari uoluit. illud uero non uidetur dubitari posse, quin postquam Flori libello titulus epitomae de T. Liuio praescriptus fuit, uera illa Liuiani operis epitoma, siue periochas dicere mauis, ad Florum referretur, praesertim cum uterque libellus uno uolumine coniungi soleret. ceterum discrepantia, quae ubique inter *B* et *N* intercedit, etiam in titulo conspicitur. quam *N* simpliciter *epitomam de T. Liuio* uocat, ea accuratius in *B* inscribitur *epitoma de T. Liuio bellorum omnium annorum septingentorum*. haec inscriptio, quamquam a Floro ita profecta esse credi non potest, tamen non solum ambitum recte designat, sed commemoratione bellorum ordinem a scriptore institutum haud inepte indicat. uerum haec res nos alio ducit.

Codicum enim diuersa origo ea quoque re cernitur, quod Flori opus diuerso modo in libros et capita distinguunt. *N*ς quattuor libros habent: quamquam neque hi inter se consentiunt; nam ς initium tertii libri faciunt, ubi in *N* secundi ultimum caput incipit p 56, 26, et quarti initium medio fere tertio in *N* p 79, 2, eo ipso loco, quo in *B* secundus liber incipit. *B* enim totum opus in duos libros dispescuit. hunc tamquam antiquissimum testem secutus sum, quamquam persuasum mihi est Florum librum suum neque hoc neque illo modo diuisisse, qua de re iam Titzius recte iudicauit. neque in capitibus ordinandis codices inter se consentiunt. pro antiquissimo testimonio habendus est index capitum, qui in *B* utrique libro praemittitur, mutilatus is quidem — nam p 4, 15 bellum Achaicum et p 77, 7 Ti. Gracchi seditio silentio praetereuntur — sed neglegentia

tantum librarii mutilatus. iam uero *B* postea non solum ea capita suo loco indicat, quae in indice omissa sunt, sed addit etiam p 52, 1 nouum caput cui inscribitur *res in Hispania gestae*, quo ordo capitum turbatur, quae sola fere bella indicant; et uero quae hic traduntur ad bellum Numantinum pertinent. tum p 120, 5 bellum Marmaricum inserit *B*. *N* autem, qui ceterum in capitibus distinguendis cum *B* consentit, inde a p 115, 5 nullas capitum inscriptiones habet, quae in ς per totum librum fere seruatae non sunt. uno autem loco, quod sero animaduerti, factum est ut uerba Flori in *N* pro titulo praescriberentur, in *B* prorsus omitterentur. p 83, 1 enim quae in *N* leguntur '*bellum quod aduersus socios gestum est*' aperte Flori sunt et errore librarii pro titulo accepta, in *B* autem omissa propter similitudinem uerborum '*bellum aduersus socios*', quae indicis loco adscripta erant. iam uero haec capita et capitum praescriptiones, quibus liber misere laceratur, ipsum Florum non posuisse uel anacephalaeoses p 11, 16. 75, 8 docent, quae etiam aliis quibusdam locis eodem iure poni potuerunt, ubi ad alia transitum sibi facit scriptor. non dubito, quin ad usum lectorum, qui summam rerum celeriter lustrare cupiebant, bellorum et rerum potissimarum nomina in margine adscripta fuerint, quibus postea demum tamquam capitum titulis librarii ad uerba scriptoris dispescenda usi sunt.

Florus autem ordinem quo res Romanas tractare sibi proposuerit haud uno loco satis accurate indicauit. et statim ab initio quattuor populi Romani aetates describit p 5, 19, infantiam, adulescentiam, iuuentutem, denique senectutem; quam descriptionem postea suo loco semper in memoriam reuocat; cf p 11, 17 '*haec est prima aetas populi Romani et quasi infantia*'; p 26, 12 '*haec est secunda aetas populi Romani et quasi adulescentia*'; p 28, 15 '*talis — populus Romanus fretum illud adulescentiae, id est secundam imperii aetatem habuit. — domita subactaque Italia populus Romanus — cum bona fide adoleuisset, si quod est robur, si qua iuuentas, tum ille uere robustus et iuuenis — esse coepit*'. hanc tertiam aetatem in duas partes diuidit, primos centum annos aureos uocans, alteros scelestos; priore parte absoluta alteram se iterum diuisurum esse pronuntiat, ut primum externa, tum ciuilia bella enarret p 56, 5, quo lectorem reuocat p 75, 9, postquam externa bella absoluit. denique inde a p 105, 8 narrat

quo modo sub Augusto ad pacem et quietem populus senescens iam peruenerit, in quo finem facit, cum de ipsa senectute nihil addere in animo habuerit. qua in re id quoque notatu dignum est, quod, cum usque ad Augustum populum Romanum tamquam unum hominem finxerit, qui summas res ipse perficit, postea Augustum quasi in locum populi Romani succedere atque ea perpetrare fingit, quae antea populus egerat. uerum etiam in singulis rebus enarrandis semper certum quendam ordinem praescribit quem persecuturus est. ita quod p 12, 27 profitetur, '*liber iam hinc populus Romanus prima aduersus exteros arma pro libertate corripuit, mox pro finibus, deinde pro sociis, tum gloria et imperio*', id accurate exequitur. cf p 13, 8 '*pulsis urbe regibus prima pro libertate arma corripuit*'; p 74, 19 '*hactenus pro libertate, mox de finibus — pugnatum est*'; p 17, 5 '*pro sociis Romanus interuenit*' et p 20, 4 '*pro sociis Samnitas inuadit*'; p 25, 21 '*ultro persequi socios hostium placuit*', scilicet pro gloria et imperio. similiter in seditionibus enarrandis certum fixumque ordinem tenet et lectori inculcat, p 26, 12 sqq. ita bello Punico primo finito p 33, 9 Ligures Gallos Illyrios primum nominat, ut p 41, 30 Macedoniam Graeciam Syriam, deinde de singulis eodem ordine refert. postea quae narrat ita solet ordinare ut caeli regiones sequatur, ita tamen ut semper lectorem de hoc ordine moneat; cf p 56, 26; 57, 19; 59, 16; 63, 22. p 66, 2; 24; 67, 1. p 115, 2; 120, 2; 9; 121, 2. possent haec longe accuratius atque enucleatius exponi, si opus esset; uel sic paullo attentiorem fugere non potest, librorum et capitum distributionem, qualis in codicibus tradita sit, non adsequi subtile acumen quo Florus opus suum formauit ideoque ab eo profectam esse nullo modo posse. equidem nullam causam uideo, cur Florus librum tam parui uoluminis in plures partes diuisisse putandus sit, potius uerisimile mihi uidetur librum singularem ab eo publicatum fuisse: quo titulo, nescimus. ceterum quod antea ex codicum indole adsecuti sumus, ex longo inde tempore multorum manus passum esse hunc Flori librum, id etiam his confirmatur quae de inscriptionibus et diuisionibus modo disputata sunt.

Iam uero ubi eo peruentum est ut de ipso Floro quaeramus, hunc quoque codicum dissensu quasi duplicem fieri uidemus. *N* et ς scriptorem libri uocant L. Annaeum Florum. sed quis iste

fuit? qua de re iam olim dubitatum et quaesitum esse prologus docet, qui in codibus quibusdam recentioribus epitomae praeponitur et in codice Heidelbergensi 1568 (350) ita scriptus est

> Anno XIII olympiadis Lucius Anneus Melas fr Senecae et Gallionis bona Lucani poetae filii sui a Nerone promeruit. unde colligi potest Iunium Gallionem et Lucium Anneum Senecam et Lucium Anneum Melam fratres fuisse, at Marcum Anneum Lucanum poetam Lucii Annei Melae filium ac per hoc aliorum duorum nepotem. ergo quisnam horum libri huius auctor sit, an Lucius Anneus Seneca, an Lucius Anneus Melas incertum facit communitas nominum Lucii et Annei. nam Flori non est ibi mentio. nemo uero melius nec ornatius nec expeditius nec purius nec defaecatius nec breuius nec latius hoc Anneo aliquid componere potuit.

prima uerba usque ad *promeruit* ex Hieronymo descripta et numerum corruptum esse pro *anno III olympiadis CCXI* non fugit Salmasium. ille igitur quisquis fuit, qui prologum scripsit, cum nihil de L. Annaeo Floro, perpauca de Annaeis Seneca et Mela tradita accepisset, coniecturam proposuit aut Senecam aut Melam etiam Flori nomen tulisse et ab alteroutro hunc librum scriptum esse. unde in quibusdam recentioribus codicibus praeter Flori etiam Senecae nomen legitur, quod quam nullius auctoritatis sit apparet. neque firmius argumentum est, quod ex Lactantio uiri quidam docti petiuerunt, ut a Seneca scriptum esse epitomen demonstrarent. ille enim institutionum VII, 15, 14 '*non inscite*', ait, '*Seneca Romanae urbis tempora distribuit in aetates. primam enim dixit infantiam sub rege Romulo fuisse, a quo et genita et quasi educata sit Roma, deinde pueritiam sub ceteris regibus, a quibus et aucta sit et disciplinis pluribus institutisque formata; at uero Tarquinio regnante, cum iam quasi adulta esse coepisset, seruitium non tulisse et reiecto superbae dominationis iugo maluisse legibus obtemperare quam regibus; cumque esset adulescentia eius fine Punici belli terminata, tum denique confirmatis uiribus coepisse iuuenescere. sublata enim Carthagine, quae diu aemula imperii fuit, manus suas in totum orbem terra marique porrexit, donec regibus cunctis et nationibus imperio subiugatis cum iam bellorum materia deficeret, uiribus suis male uteretur, quibus se ipsa confecit. haec fuit prima eius senectus,*

cum bellis lacerata ciuilibus atque intestino malo pressa rursus ad regimen singularis imperii recidit quasi ad alteram infantiam reuoluta. amissa enim libertate, quam Bruto duce et auctore defenderat, ita consenuit tamquam sustentare se ipsa non ualeret nisi adminiculo regentium niteretur'. quantacumque huius distributionis, quam a Seneca factam Lactantius refert, similitudo cum ea est quam in Flori libro adhibitam legimus, non prorsus tamen utramque inter se conspirare monuit rectissime Vossius de historicis I, 30, ceterum leuibus coniecturis nimis indulgens. ut nihil de ea re dicam, quod Lactantius de urbe Roma loquitur, cum Florus populum Romanum producat — nam hoc a Lactantio mutatum uideri possit —, non nouit Florus discrimen illud, quo Seneca infantiam a pueritia seiungit. tum uero Seneca adulescentiae terminum cum fine belli Punici primi ponit, Florus autem ante initium eius belli. infantiam enim usque ad libertatem, adulescentiam usque ad totam Italiam subactam porrigit, iuuentutem, quam p 56, 8. 75, 9 aetatem transmarinam uocat, in domando toto terrarum orbe occupatam ponit. denique quod apud Lactantium Roma ad regimen singularis imperii quasi ad alteram infantiam reuoluta dicitur, id sane non optime cum eis quadrat quae apud Florum p 105 leguntur. apparet igitur eos, qui ex hoc Lactantii loco effecerunt scriptorem epitomae L. Annaeum Senecam fuisse, non satis accurate rem tractasse, praesertim cum nulla re explicari possit, unde tandem Flori nomen uenerit. quare etiam ea concidunt, quae huic coniecturae superstructa sunt, quale est quod ab Annaeo Floro Octauiam scriptam esse putarunt G. I. Vossius atque Withofius coniecturarum III p 108 sqq. sed tamen ad Flori ingenium recte aestimandum plurimum facit quod apud Lactantium legimus. ille igitur, qui nihil fere proprium habet quod sibi soli debeat, etiam hanc imaginem a Seneca mutuatus est, quam rhetoricis pigmentis exornaret. ceterum, ut hoc addam, Seneca a Lactantio commemoratus pater philosophi intellegi debet, quem historias ab initio bellorum ciuilium paene usque ad mortis suae diem perscripssse e fragmento filii a Niebuhrio detecto scimus. is igitur cum senectutem Romae, quam a bellis ciuilibus incipientem fecit, descripsisset, Florus infantiam adulescentiam iuuentutem sibi sumpsit.

Sed ecce Florus in manibus est, a quo epitomen perscriptam

esse plerique putarunt. Spartianus enim de Hadriano inter alia haec refert (16) *Floro poetae scribenti ad se*

'ego nolo Caesar esse,
ambulare per Britannos,
* * * *
Scythicas pati pruinas'

rescripsit

'ego nolo Florus esse,
ambulare per tabernas,
latitare per popinas,
culices pati rotundos.'

apud Charisium uero scriptum legimus I p 38 *Annius Florus ad diuum Hadrianum 'poematis delector'* — quae I p 113 repetuntur, nisi quod praeter ultimum *s* totum Annii nomen deletum est —, et I p 99 *Florus ad diuum Hadrianum 'quasi de Arabe aut Sarmata manubias'*. hic Florus quin idem cum poeta sit nulla dubitandi causa est; et cum in Charisii editionibus olim *Anneus* legeretur, nihil ueri similius uideri potuit quam L. Annaeum Florum sub Hadriano uixisse atque praeter alia epitomen rerum Romanarum et carmina scripsisse. noster autem Florus quin sub Hadriano uixerit iam non potest dubium esse, postquam p 6, 6 *mouit lacertos* et p 6, 8 *reuiruit* e codice *B* restitutum est. missum iam facere possum quod ad eundem Florum parua quaedam carmina referuntur a P. Pithoeo primo in anthologiam recepta. ea enim in Salmasii quidem codice *Flori*, in Thuaneo uero *Floridi* esse dicuntur, ut res prorsus incerta sit, de qua si quis uarias suspiciones cognoscere cupit, quantum satis est reperiet apud Wernsdorfium poetarum Latinorum minorum III p 450, IIII p 854, VI p 25. sed non praetereundum mihi est Flori fragmentum quod in codice Bruxellensi 10677 saeculo XII in membranis scripto a Theodoro Oehlero inuentum et descriptum Fridericus Ritschelius a se et Schopenio egregie tractatum edidit Musei Rhenani sui I p 302 sqq. cum postea ex apographo quod Bockius confecerat uarias quasdam lectiones ibidem p 479 editae essent, equidem, ut certo scirem quid in codice extaret, a Conrado Bursiano facile inpetraui ut, dum Bruxellae commoratur, codicem denuo excuteret. in quo quae inde a folio 73 uerso leguntur, emendate scripta repetam, ita ut quodcum-

que in codice aliter legitur accurate adscribam, nisi quod eos locos adnotare omisi, quibus *e* et *ae* inter se commutantur.

P· ANNII· FLORI· VIRGILIVS· ORATOR· AN poeta incipit.

Capienti mihi quietem in templo et saucium uigilia capud plurimarum arborum amoenitate, euriporum frigore, aeris libertate recreanti obuiam subito quidam fuere, quos ab urbis spectaculo Baeticam reuertentes sinister Africae uentus in hoc litus excusserat. quorum unus, uir ut postea apparuit literis pereruditus, subito ad me conuenit et ‘salue’ inquid ‘hospes. nisi molestum est, dic nomen tuum; nam nescio quid oculi mei ammonent et quasi per nubilum te recognosco.’ ‘Quid istic?’ inquam. ‘Florum uides, fortasse et audieris, si tamen in illo orbis terrarum conciliabulo sub Domitiano principe crimini nostro adfuisti.’ et Baeticus ‘tune es’ inquid ‘ex Africa, quem summo consensu poposcimus? inuito quidem Caesare et resistente, non quod tibi puero inuideret, sed ne Africa coronam magni Iouis attingeret.’ quae cum me uideret uerecunde agnoscentem, in amplexum effunditur et ‘ama’ inquid ‘igitur fautorem tuum.’ ‘quidni amem?’ et manu alterutrum tenentes auidissime nascentem amicitiam foederabamus, cum ille interim breui interuallo usus ‘et quid tu’ inquid ‘tam diu in hac prouincia? nec in nostram Baeticam excurris nec urbem illam reuisis, ubi uersus tui a lectoribus concinuntur et in foro omni clarissimus ille de Dacia triumphus exultat? potesne cum hoc singulari ingenio tantaque natura prouincialem latebram pati? nihil te caritas urbis, nihil ille uictor gentium populus, nihil senatus mouet? nihil denique lux et fulgor felicis inperi, qui in se rapit atque conuertit omnium oculos hominum ac deorum?’ atque ego uarie perturbatus

3 quietem *add Schopenius* ‖ 5 aeris salubritate *Schopenius* ‖ 6 affrica ‖ 10 te *add Schopenius* ‖ 12 domiciano ‖ 13 affrica ‖ 16 Africa coronam *Ritschelius:* affrice corona ‖ 18 manum ‖ 19 amiciciam ‖ 24 potesne *** *codex in quo scriptum erat* hoc ‖ 25 uictor *add Ritschelius, in codice eius loco* te *erasum est* ‖ 26 gencium ‖

'quid nunc uis ego respondeam? o quisquis es, mihi quoque ipsi hoc idem mirum uideri solet, quod non Romae morer; sed nihil est difficilius quam rationem reddere actus tui. quare desine me in memoriam priorem reducendo uulnus dolorum meorum rescindere. propitia sit illa ciuitas, et fruantur illa quibus fortuna permittit. quod ad me pertinet, ex illo die, cuius tu mihi testis es, postquam ereptam manibus et capiti coronam meo uidi, tota mens, totus animus resiliit atque abhorruit ab illa ciuitate, adeoque sum percussus et consternatus illo dolore ut patriae quoque meae oblitus et parentum carissimorum similis furenti huc et illuc uagarer per diuersa terrarum'. et ille 'quae tamen loca quasue regiones peragrasti?'

'Si ita indulges otio, plane quam breuiter exponam nec inuitus priorum recordabor. primum Siciliam nobilem uidi, domesticam Cereris. secundam deinde Creten, patriam tonantis, et a latere uicinas Cycladas salutaui. inde me Rhodos et ab regressu Aegyptium pelagus, ut ora Nili uiderem et populum semper in templis otiosum peregrinae deae sistra pulsantem. inde rursus Italiam redii, et taedio maris cum mediterraneam concupissem, secutus Gallicas Alpes en lustro populos aquilone pallentes. inde sol occidens placuit: flecto cursum. sed statim par horrore, par uertice, par ille niuibus Alpinis Pyrenaeus excepit. uides, hospes, quae spatia caeli peragrauerim, quae maris quaeue terrarum. non aliter mehercules, si conferre paruis magna licet, sacer ille iuuenis peruolitauit, cui Terra mater capaces onerauerat frugibus amictus, et cum alite serpente currum ipsa iunxisset, nisi toto orbe peragrato uetuit suas redire serpentes. liceat ergo tandem fatigato hic aliquando succumbere. si Scythes essem, iam plaustra soluissem; si uagus gubernator, iam dicata pelagi deae prora penderet. quousque uagabimur? an semper hospites erimus?

3 racionem || 5 propicia || 6 a me || cuius quo tu || 10 et *add Ritschelius* || 11 uagarer *Ritschelius:* uager || 13 ocio || 14 sisciliam || 15 Cereris sedem. deinde *Schopenius* || 16 cicladas || inde Rhodon *Schopenius* || 17 egiptium || allexit *add Ritschelius* || 18 ociosum || 19 mediterraneam plagam noscere concupissem secutus sum *Ritschelius* || 20 en *scripsi:* et || 22 pireneus || 23 spacia || 29 subcumbere || Scythes *Welckerus:* cithes ||

ferae cubile prospiciunt et aues senescunt in nido. si fata Romam negant patriam, saltim hic manere contingat. quid quod consuetudo res fortis est. et ecce iam familiaritate continua ciuitas nobis ipsa blanditur, quae, si quid credis mihi qui multa cognoui, omnium rerum quae ad quietem eliguntur gratissima est. populum uides, o hospes et amice, probum frugi quietum tarde quidem, set iudicio hospitalem. caelum peculiariter temperatum miscet uices, et notam ueris totus annus imitatur. terra fertilis campis et magis collibus — nam Italiae uites affectat et comparat arcas — serotino non erubescit autumno. si quid ad rem pertinet, ciuitas ipsa generosissimis auspiciis instituta; nam praeter Caesaris uexilla, quae portant triumphos, unde nomen accepit, adest etiam peregrina nobilitas. quippe si uetera templa respicias, hic ille colitur corniger praedo, qui Tyriam uirginem portans dum per tota maria lasciuit, hic amisit et substitit, et eius quam ferebat oblitus subito nostrum litus adamauit.'

Hic cum ego respirassem, statim Baeticus 'o' inquid 'beatam ciuitatem, quae in te fatigatum incidit. quem ad modum tamen te prosequitur, et quid hic agitur? unde subuenit reditus? an pater ab Africa subministrat?' 'unde ** nequaquam, cum hac ipsa peregrinatione offenderim. in reditu est mihi professio litterarum.' 'o rem indignissimam! et quam aequo fers istud animo, sedere in scholis et pueris praecipere?' ad quam illius interrogationem in hunc modum respondi. 'non miror te eius nunc esse persuasionis qua et ipse quoque aliquandiu laboraui. toto enim quod hic egimus quinquennio ita mihi pertaesum erat huius professionis ut nusquam uiuere putarem hominem miseriorem. set subinde retractanti sor-

7 tarde *Schopenius:* tardem || 10 Italiae *Ritschelius:* italia || 13 portant *Ritschelius:* portat || eciam || 15 tiriam || 18 beaticus || 20 a te agitur *Ritschelius* || 21 affrica || unde tu putas? a patre quidem nequaquam, cum eum *Ritschelius* || 22 redditu || 23 professio *Schopenius:* possessio || 24 istud *in codice correctum, cum antea* illud *fuisset* || scolis || at || 25 interrogacionem || 26 te *add Ritschelius* || aliquandiu *Schopenius:* aliquando diu || 27 toto *scripsi:* totum || hic *add Schopenius* || 28 ita *Ritschelius:* isto isto || 29 set *Ritschelius:* et || retractanti *Ritschelius:* retractant ||

temque meam cum fortunis et ceteris uitae laboribus conferenti tandem aliquando pulcritudo suscepti operis apparuit. scire te ergo nunc oportet nullam maius praedium, nullam procurationem, nullum honorem decerni quantus hic sit nostrae professionis. nempe si mihi maximus inperator uitem id est centum homines regendos tradidisset, non mediocris honor habitus mihi uideretur; cedo si praefecturam, si tribunatum: nempe idem honos, nisi quod merces amplior. si ergo non Caesar, sed Fortuna hoc genus stationis iniunxit uti pueris ingenuis atque honestis praesiderem, nonne tibi pulcrum uideor atque magnificum consecutus officium? quaeso enim, propius intuere, utrum praeclarius sit sagulatis an praetextatis inperare? barbaris efferatisque pectoribus an mitibus et innoxiis? bone Iupiter, quam inperatorium, quam regium est sedere a suggestu praecipientem bonos mores et sacrarum studia litterarum, iam carmina praelegentem quibus ora mentesque formantur, iam sententiis uariis sensus excitantem, iam exemplis ro***

Quid de hoc fragmento statuendum sit haud facile dicas. praefationem declamatoriam recte agnouisse uidetur Schopenius, quam carminibus a Floro praemissam putat. quod cum per se spectatum satis placeat, nescio tamen an tituli uerba *Virgilius orator an poeta* ita contemnere debeamus ut a Schopenio atque Ritschelio factum est. in tanto studio quod a grammaticis et rhetoribus in Vergilio ponebatur fieri potuisse credo ut aliquis quaestionem institueret, utrum Vergilius orator an poeta habendus sit, sicut quaesitum esse scimus, Lucanus utrum historicus an poeta sit. decebat autem talis quaestio hominem scholasticum qualis fuit Florus, et potuit sane eius modi paradoxon satis declamatorie exornari. declamationibus autem praefationes praemittere solebant rhetores, in quibus de se suisque rebus narrarent, et hanc praefationem a Floro Romam reduce eo consilio scriptam esse uerisimile est ut se Romanis in memoriam reuocaret. sed quidquid

3 maius *Oehlerus:* magis ‖ 4 procuracionem ‖ 5 inperator uitem *scripsi:* inputem ‖ 9 stacionis ‖ 10 uideor *add Ritschelius* ‖ 15 in suggestu *Schopenius* ‖ 17 sentenciis ‖ excitantem *Ritschelius:* excitantur ‖

de hac re statuendum est, scimus iam P. Annium Florum poetam Africa oriundum ludis Capitolinis a Domitiano corona priuatum fuisse, id quod intra annum p Chr 86, quo ludos Capitolinos Domitianus instituit et annum 96, quo idem mortuus est, factum sit necesse est. indignabundus poeta Roma relicta per uarias terras uagatus denique in urbe Hispaniae sedem fixit et ludum litterarium aperuit. hanc urbem Tarraconem fuisse, quae colonia Iulia Victrix nominata est et legionis sextae uictricis statio fuit, probabiliter a Ritschelio demonstratum est. ibi Florum etiam sub Traiano commoratum esse Dacici triumphi, qui anno p Chr 101 actus est, commemoratio docet. hunc triumphum Florus carmine celebrauit, si quidem clarissimus ille de Dacia triumphus, qui in omni foro exultat, ita Flori uersibus quos concinunt lectores iungitur, ut nisi de carmine ab eo conposito intellegi nequeat. iam uero rectissime monuit Ritschelius nullam causam esse cur hunc P. Annium Florum poetam non eundem esse censeamus cum Annio Floro qui Charisio teste ad Hadrianum scripsit, quem non diuersum esse a Floro poeta, quocum Hadrianus ioculari carmine certauit, omnes consentiunt. sed quid iam de L. Annaeo Floro epitomae scriptore fiet? nemo enim eo usque temeritatis progredietur, ut aut hunc P. Annium aut illum L. Annaeum uocandum esse contra omnes libros autumet; praesertim cum ille ipse L. Annaeus Florus iam incertus factus sit.

In *B* enim scriptor epitomae Iulius Florus audit. Lipsius quidem electorum II, 5 se Annaeum Florum cum priscis libris scriptorem nominare quam Iulium malle ait; unde Freinshemius aliique putarunt Lipsium Iulii nomen in codicibus quibusdam praescriptum inuenisse. at is Raphaelem Volaterranum respexit, qui comment urb XVI epitomae scriptorem filium esse Iulii Flori a Quinctiliano memorati suspicatus est. quantum uero triumphum ageret, si Iulii Flori nomen in codice omnium optimo inueniri conperisset Franciscus Nicolaus Titzius! cui cum in mentem uenisset hunc librum scriptum esse a Iulio Floro Horatii amico, primum in quaestionibus de epitomes aetate probabilissima, uero auctore, antiqua forma, anno MDCCCIIII editis, tum in editione quam anno MDCCCXVIIII curauit, sententiam suam ita persecutus est, ut quaecumque aetate Augusti indigna ei uide-

rentur tamquam ab interpolatore profecta resecaret tantasque late strages ederet, ut Florum in ipso Floro requireres. sed de hoc commento non opus est pluribus dicere, praesertim postquam Meinertus annalium Vindobonensium uolumine XXVIII p 169 sqq et Gossrauius in dissertatione de Flori qua uixerit aetate anno MDCCCXXXVII Quedlinburgi edita eam accuratius confutarunt. ei loci uero, quibus Titzius potissimum usus est, si non ad aetatem Flori definiendam, tamen ad iudicium de eius prudentia et fide historica ferendum memorabiles sunt. scilicet cum in rebus Romanis usque ad Augusti tempora referendis eos auctores secutus sit qui eis ipsis temporibus uixerunt, ea quoque transcripsit quae Augusti quidem tempore uera erant, Hadriani non item. quorum primarium est quod in narratione de clade Variana p 119, 21 refert '*signa et aquilas duas adhuc barbari possident*', cum ex Taciti annalibus I, 60. II, 25 constet a Stertinio et Germanico postea has duas aquilas recuperatas esse. idem in descriptione Campaniae p 20, 17 Herculaneum et Pompeios commemorat quasi extent, quamuis Vesuuium Aetnaei ignis imitatorem uocet; hoc scilicet nemo Hadriani temporibus nescire potuit, ceterum sine dubio scriptorem antiquiorem incogitanter secutus est. hunc Plinium fuisse Meinertus probabiliter suspicatur. Plinius enim de Campania III, 5, 9 '*ut ueteres*' 'ait *dixere summum Liberi patris cum Cerere certamen*'; Florus uero p 20, 11 de eadem '*ideo*' inquit '*Liberi Cererisque certamen dicitur*'. quamquam enim concedendum est potuisse id Florum ex eisdem ueteribus auctoribus desumere quibus Plinius usus est, tamen in tali scriptore hoc nequaquam ueri simile est. tum si p 14, 24 ait '*idem tunc Faesulae quod Carrhae nuper, idem nemus Aricinum quod Hercynius saltus, Fregellae quod Caesoriacum, Tiberis quod Euphrates*', apparet non esse argutandum in uocabulo *nuper*, sed Florum ea commemorasse tamquam nuperrima, quae eius temporis sunt quod ultimum descripsit. ita Carrhae memorantur p 74, 22, Hercynius saltus p 118, 22, Caesoriacum p 118, 20, Euphrates p 66, 8. minora omitto, quoniam haec sufficiunt ut intellegatur quam inconsulto fontes suos Florus secutus sit. his igitur missis cum de Iulio Floro, Porcii Latronis discipulo, qui a Seneca controuersia 25 p 310 Gron et a Quinctiliano X, 3, 13 commemoratur,

nemo sanus cogitare possit, ingenue profitendum est nihil nos de Iulio Floro scire, nisi sub Hadriano eum epitomen hanc scripsisse. nam ea sane est codicis *B* auctoritas, ut Iulium potius quam Annaeum Florum uocemus: sed si quis quaerat qui tandem factum sit, ut pro Iulio suppositus sit a librariis Annaeus, nihil habeo unde res tam singularis explicari possit.

De scriptore quid ex libro eius iudicandum sit nemini iam dubium est. eum non historicum esse, sed rhetorem dudum dissertatione quadam probatum iuit Ioannes Michael Heinzius syntagmati opusculorum p 260 inserta. res ab aliis traditas non ab ipso inuestigatas haud raro summa neglegentia transcripsit ita dispositas ut non historicam fidem, sed eam imaginem respiceret, quam sibi illustrandam proposuit, ne hanc quidem, ut uidimus, ab ipso inuentam. rhetoricam uero disciplinam in toto consilio, in rerum ordine, in singulis quae uel commemorauit uel omisit ubique agnoscere licet. ita, ut hoc utar, ubi Asinius Polio Delmatas uicisse narratur addit *hic secundus orator* p 116, 11; quae multi suppositicia crediderunt. uerum uidit Freinshemius, cum secundum a Cicerone oratorem significari Asinium intellegeret, id quod adnotare haud ex re uisum est rhetori. denique totus sermo declamatorem arguit et cuiusuis generis artificiis, figuris sententiis male acuminatis ita refertus est ut pauper scriptoris ingenium et iudicium male formatum neminem latere possit. sed de hac re post Graeuii praefationem recte ab Ernestio maximi aestimatam pluribus disserere nihil attinet. paucis tantum admonebo, de quo prae ceteris Meinertus dixit, Lucanum a Floro studiose lectum neque recto semper iudicio adhibitum fuisse. ita quod p 97, 25 scripsit '*rates — noua Pompeianorum arte Cilicum actis sub mari funibus captae quasi per indaginem*', quis non uidet efficta esse ex Lucani uersibus IIII, 449

at Pompeianus fraudes innectere ponto
antiqua parat arte Cilix, passusque uacare
summa freti medio suspendit uincula ponto
et laxas fluitare sinit religatque catenas
rupis ab Illyriae scopulis. nec prima nec illa
quae sequitur tardata ratis, sed tertia moles
haesit et ad cautes adducto fune secuta est.

itaque non uidetur casu factum quod cum Lucanus VII, 409 dixerit '*et damnata diu Romanis Alia fastis*', Florus de eadem clade p 17, 9 referat '*itaque hunc diem fastis Roma damnauit*'; idem p 101, 16 dicit '*sparsae magis quam oppressae uires erant*', Lucanus autem VIII, 273 '*sparsit potius Pharsalia nostras Quam subuertit opes*'. minus certum uideri potest quod Gronouius diatribes in Statium c 48 p 321 adnotauit, uerba Lucani VIII, 730 '*Pompeius, Fortuna, tuus*' in mente habuisse Florum cum scriberet p 66, 4 '*titulos gloriae Pompeio suo Fortuna quaerebat*'. illud grauius est quod, cum plerique omnes Camillum Ardeae exulasse tradant, Lucanus V, 28 eum Veios habitasse dicit, quod Florum quoque p 26, 25 referre recte intellexit Salmasius et iam ex apertis codicis *B* uestigiis certissime restitutum est. praeterea e Vergilii ecloga I, 67 *toto diuisos orbe Britannos* Florus p 71, 1 mutuatus est. quae Meinertus imitationis e Silio Italico ductae uestigia adnotauit, ea ut incertiora omittere satius duxi.

Fortasse ipse hic declamatorius color causa fuit, cur posteriores scriptores, quando succincta rerum Romanarum narratione eis opus fuit, Floro potissimum usi sint. ita Sextus Rufus in eis, quae de bellis cum Thracibus et Parthis gestis c 9, 17, 18, de Galatis c 11, de rebus sub Augusto gestis, praesertim de morte C. Caesaris, c 19 narrat, satis aperte Florum secutus est, cf p 63, 74, 111, 112, 46, 120. idem c 20 quod de Traiano ait '*post Augustum Romanae rei publicae mouit lacertos*' ex Flori praefatione p 6, 6 descripsit. similiter Ampelius quae c 25 de seditionibus plebis refert Floro p 27, 4 debet, eiusdemque uerba c 42 '*inexplebilis honoris Marii cupiditas decretam Sullae Ponticam prouinciam uoluit eripere per rogationem Sulpicii tribuni plebis; Sulla indignatus continuo ad exercitum perrexit et eum urbi admouit*', Flori uerba p 88, 12 aperte reddunt, ut minora quaedam taceam. nec minore fauore apud scriptores christianos exceptus est. de Iordane, qui magnam partem operis sui ad uerbum ex Floro descripsit, iam dictum est; Orosium saepissime Floro usum esse, quamquam non ita descripsit ut inde ad criticam exercendam utilitas capi possit, per singula diligentissime demonstrauit Moernerus dissertationis de Orosii uita eiusque historiarum libris septem p 140 sqq. denique Augustinum Floro usum

esse uel ea uerba demonstrant, quibus de ciuitate dei III, 19 bello Punico secundo ita Romanos atque Carthaginenses secum pugnasse narrat, *ut his quoque fatentibus, qui non tam narrare bella Romana quam Romanum imperium laudare instituerunt, similior uicto fuerit ille qui uicit* —, si cum eis Flori uerba p 35, 5 conparaueris et simul consideraueris quam apte Flori librum significauerit. itaque etiam in eis quae deinde refert Augustinus eodem libro, praesertim c 20, 27, 28, 29, non desunt Flori apertissima uestigia. omitto recentiores scriptores Liutprandum, Freculphum, alios, quos Floro usos esse certum est. ceterum non est quod moneam eo ipso, quod tanto studio Flori liber lectus et descriptus est, explicari qui factum sit ut interpolationibus tantopere foedatum uel in optimis codicibus legamus; etiam libri nimio fautorum studio corrumpuntur. quae cum ita sint, fortasse aliquis spem concipiat fore ut Florus ex scholio Lucani IIII, 624 redintegrari aliqua ex parte possit, ubi haec leguntur '*dicit Valerius Suetonius et Florus quod Attilius miles Caesaris in bello Massiliensi iniecit manum in nauim Massiliensem et illa amputata iniecit aliam et tam diu nauim tenuit donec submergeretur, secutus Cynaegirum militem Atheniensem in bello contra Persas secundum Iustinum VI libro*'. tale quid apud Florum non legi certum est: sed equidem non adducar ut credam Guilielmum Capellum de Auletta, qui anno MCCCCXXI hoc adnotauit, pleniore quam nos Floro usum esse.

Dabam Lipsiae exeunte Augusto anni MDCCCLII.

IVLI FLORI

EPITOMAE

DE TITO LIVIO

BELLORVM OMNIVM ANNORVM DCC

LIBRI II.

B codex Bambergensis. in quo si quid erratum est et ab ipso librario statim correctum, notaui *b* quod prius scriptum, *B* quod correctum est. quidquid secunda manus mutauit accurate indicatum est. ** posui ubi quid erasum est.

N codex Nazarianus.

I Iordanis codices, ubi consentiunt. I^h codex Heidelbergensis. I^p codex Pollingensis bibliothecae Monacensis. '' posui, ubi Iordanes incipit, '' ubi desinit, quibus respondent *I* et [*I*] in margine.

ς codices recentiores, uel plures uel singuli.

IVLI FLORI

EPITOMAE DE TITO LIVIO

BELLORVM OMNIVM ANNORVM DCC

LIBER I.

CAPITA LIBRI I.

I. A Romulo tempora regum VII.
II. Anacephalaeosis eorum temporum.
III. De mutatione rei publicae.
IIII. Bellum Etruscum cum rege Porsenna.
V. Bellum Latinum.
VI. Bellum cum Etruscis Faliscis Veientibus Fidenatibus.
VII. Bellum Gallicum.
VIII. Bella Gallica.
VIIII. Bellum Latinum.
X. Bellum Sabinum.
XI. Bellum Samniticum.
XII. Bellum Etruscum Samniticum Gallicum.
XIII. Bellum Tarentinum.
XIIII. Bellum Picens.
XV. Bellum Sallentinum.
XVI. Bellum Vulsiniense.

1 EPITHOMA IVLI FLORI DE TITO LIVIO· BELLORVM OMNIVM· ANNORVM SEPTINGENTORUM· LIBRI· N· DUO FELICITER *B*, L· ANNEI· FLORI· EPITOMA DE TITO LIVIO INCIPIT LIBER PRIMVS LEGE FELICITER *N* ‖ 5 HAEC INSVNT LIBRO PRIMO *B* ‖ *capita om N* ‖ 7 anakeφaleosis *B* ‖ 11 phaliscis *B* ‖ fidenatis *B* ‖ 14 picense *B* ‖ 20 salentinum *B* ‖ 21 uulsinense *B* ‖

XVII. De seditionibus.
XVIII. Bellum Punicum primum.
XVIIII. Bellum Liguricum.
XX. Bellum Gallicum.
XXI. Bellum Illyricum.
XXII. Bellum Punicum secundum.
XXIII. Bellum Macedonicum primum.
XXIIII. Bellum Syriacum regis Antiochi.
XXV. Bellum Aetolum.
XXVI. Bellum Histricum.
XXVII. Bellum Gallograecum.
XXVIII. Bellum Macedonicum secundum.
XXVIIII. Bellum Illyricum secundum.
XXX. Bellum Macedonicum tertium.
XXXI. Bellum Punicum tertium.
XXXII. Bellum Numantinum.
XXXIII. Bellum Asiaticum.
XXXIIII. Bellum Iugurthinum.
XXXV. Bellum Allobrogum.
XXXVI. Bellum Cimbricum Teutonicum Tigurinum.
XXXVII. Bellum Thracicum.
XXXVIII. Bellum Mithridaticum.
XXXVIIII. Bellum piraticum.
XL. Bellum Creticum.
XLI. Bellum Balearicum.
XLII. Expeditio in Cyprum.
XLIII. Bellum Gallicum.
XLIIII. Bellum Parthicum.
XLV. Anacephalaeosis.

3 lyguricum *B* ‖ 15 *excidisse uidetur* bellum Achaicum ‖ 17 asyaticum *B* ‖ 20 cymbricum *B* ‖ 21 trachicum *B* ‖ 22 mytridaticum *B* ‖ 23 pyraticum *B* ‖ 29 anakeφaleosis *B* ‖ EXPLICIVNT KĀP ŁBRI PRIMI· IVL· FLORI *B*.

I. A ROMVLO TEMPORA REGVM SEPTEM.

Populus Romanus a rege Romulo in Caesarem Augustum septingentos per annos tantum operum pace belloque gessit, ut, si quis magnitudinem imperii cum annis conferat, aetatem ultra putet. ita late per orbem terrarum arma circumtulit, ut qui res illius legunt non unius populi, sed generis humani facta condiscant. tot in laboribus periculisque iactatus est, ut ad constituendum eius imperium contendisse Virtus et Fortuna uideantur. qua re cum si quid aliud hoc quoque operae pretium sit cognoscere, tamen quia ipsa sibi obstat magnitudo rerumque diuersitas aciem intentionis abrumpit, faciam quod solent, qui terrarum situs pingunt: in breui quasi tabella totam eius imaginem amplectar, non nihil, ut spero, ad admirationem principis populi conlaturus, si pariter adque insemel uniuersam magnitudinem eius ostendero.

Si quis ergo populum Romanum quasi unum hominem consideret totamque eius aetatem percenseat, ut coeperit, utque adoleuerit, ut quasi ad quandam iuuentae frugem peruenerit, ut postea uelut consenuerit, quattuor gradibus **. prima aetas sub regibus fuit prope per annos CCL, quibus circum urbem ipsam cum finitimis luctatus est. haec erit eius infantia. sequens a Bruto Collatinoque consulibus in Appium Claudium Quintum Fuluium consules CCL annis patet, quibus Italiam subegit. hoc

1 *om N* ‖ 5 illius *B:* eius *N* ‖ 6 facta discant quod in *N* ‖ 8 uiderentur *N* ‖ 9 si praecipuae hoc quoque *N* ‖ 12 inmaginem *B* ‖ 14 utque in semet *N* ‖ 16 unum *om N* ‖ 18 quendam iuuentae florem *N* ‖ 19 quattuor gradus processusque eius inueniet *N* ‖ prima *N:* romae *B* ‖ e quattuor gradibus prima *Nipperdeius* ‖ 20 CCL *edd uett:* quadringentos *B*, CCCC *N* ‖ circum ipsam cum ipsam cum finitimis *N* ‖ 21 obruto *B* ‖ 23 CCL ς*:* centum quinquaginta *B*, CL *N*. ‖

fuit tempus uiris armis incitatissimum, ideoque quis adulescentiam dixerit. deinceps ad Caesarem Augustum cc anni, quibus totum orbem pacauit. hic iam ipsa iuuentus imperii et quasi robusta maturitas. a Caesare Augusto in saeculum nostrum haut multo minus anni ducenti, quibus inertia Caesarum quasi consenuit adque decoxit, nisi quod sub Traiano principe mouit lacertos et praeter spem omnium senectus imperii quasi reddita iuuentute reuiruit.

1 ″Primus ille et urbis et imperii conditor Romulus fuit, Marte I genitus et Rhea Silvia. hoc de se sacerdos grauida confessa est, nec mox fama dubitauit, cum Amulii regis imperio iactatus in profluentem cum Remo fratre non potuit extingui. si quidem et Tiberinus amnem repressit, et relictis catulis lupa secuta uagitum uber admouit infantibus matremque egit. sic repertos aput arborem Faustulus regii gregis pastor tulit in casam adque educauit. Alba tum erat Latio caput, Iuli opus; nam Lauinium patris Aeneae contempserat. ab his Amulius iam septima subole regnabat, fratre pulso Numitore, cuius ex filia Romulus. igitur statim prima iuuentutis face patruum ab arce deturbat, auum reponit. ipse fluminis amator et montium, aput quos erat educatus, moenia nouae urbis agitabat. gemini erant; uter auspicaretur et regeret, adhibere placuit deos. Remus montem Auentinum, hic Palatinum occupat. prius ille sex uulturios, hic postea, sed duodecim uidet. sic uictor augurio urbem excitat, plenus spei bellatricem fore; id adsuetae sanguine et praeda aues pollicebantur. ad tutelam nouae urbis sufficere uallum uidebatur, cuius dum angustias Remus increpat saltu, dubium an iussu fratris, occisus est: prima certe uictima fuit munitionemque urbis nouae sanguine suo consecrauit. imaginem urbis ma-

1 ideo quis *N* ‖ 2 cc ς: centum et quinquaginta *BN* ‖ 3 iuuentas *N* ‖ et quaedam quasi *N* ‖ 8 reuirescit *N* ‖ 10 hrea *N* ‖ 10 confessus *b* ‖ 11 amulli *B*, ‖ regis *om N* ‖ abiectus *IN* ‖ 14 ubera $I^{P}N$ ‖ matremque se gessit *N*, matrisque gessit officium *I* ‖ regii *om N* ‖ 16 ablatum *I*, alba tunc *N* ‖ 16 labinium *B* ‖ 17 amillius *b*, amullius *B* ‖ 18 numitore *om B* ‖ 19 iuuentae *N* ‖ facie *IN* ‖ patrium amulium romulus ab *N* ‖ 22 adhibere piacula remus *N* ‖ 23 prior *N* ‖ uultures *IN* ‖ 24 uidit *I* ‖ ita illi adsuetae *N* ‖ 26 tutellam *B* ‖ 27 dum inridet angustias remus idque increpat *N* ‖ saltu dubium *N*: saltu transiluit dubium *BI* ‖

I gis quam urbem fecerat: incolae deerant. erat in proximo lucus; hunc asylum facit, et statim mira uis hominum: Latini Tuscique pastores, quidam etiam transmarini, Phryges qui sub Aenea, Arcades qui sub Euandro duce influxerant. ita ex uariis quasi elementis congregauit corpus unum, populumque Romanum ipse fecit rex. erat unius aetatis populus uirorum. itaque matrimonia a finitimis petita quia non inpetrabantur, manu capta sunt. simulatis quippe ludis equestribus uirgines, quae ad spectaculum uenerant, praedae fuere. et haec statim causa bellorum. pulsi fugatique Veientes. Caeninensium captum ac direptum est oppidum. spolia insuper opima de rege Agrone Feretrio Ioui manibus suis rex reportauit. Sabinis proditae portae per uirginem Tarpeiam nomine. dolose puella pretium rei quae gerebant in sinistris petiuerat, dubium clipeos an armillas; illi, ut et fidem soluerent et ulciscerentur, clipeis obruere. ita admissis intra moenia hostibus, atrox in ipso foro pugna, adeo ut Romulus Iouem oraret, foedam suorum fugam sisteret; hinc templum et Stator Iuppiter. tandem furentibus interuenere raptae laceris comis. sic pax facta cum Tatio foedusque percussum, secutaque res mira dictu, ut relictis sedibus suis nouam in urbem hostes demigrarent et cum generis suis auitas opes pro dote sociarent. auctis breui uiribus, hunc rex sapientissimus statum rei publicae inposuit: iuuentus diuisa per tribus in equis et armis ad subita belli excubaret, consilium rei publicae penes senes esset, qui ex auctoritate patres, ob aetatem senatus uocabantur. his ita ordinatis repente, cum contionem haberet ante urbem aput Caprae paludem, e conspectu ablatus est. discerptum aliqui a senatu putant ob asperius ingenium; sed oborta tempestas solisque defectio consecrationis speciem praebuere. cui mox Iulius Proculus fidem fecit, uisum a se Romulum adfirmans augustiore forma quam fuisset; mandare praeterea ut se pro numine

3 friges *BIN* || 6 rex I^p: res BI^hN || 7 a *om B* || 9 et *om I* || 10 dirutum *N* || 11 agrone *om N* || 12 reportabit *B* || 13 tarpeiam *om N* || nomine. dolose puella *scripsi:* non dolo sed puella *BI*, nec dolos sed puella *N* || 14 petierant *N* || 15 et ut *b*, ut *del B* || 17 hinc *BI:* hic *bN* || 18 furentibus *B:* funeribus *I*, sevientibus *N* || 21 tabitas *B* || 22 statim *b* || 23 et in armis *N* || 24 bella *I* || 25 ab aetate I^p || uocabatur BI^p || 26 cum repente *N* || 27 paludes *I* || paludem[c] *B* || albatus *B* ||

acciperent; Quirinum in caelo uocari; placitum dis ut gentium *I* Roma poteretur.

2 Succedit Romulo Numa Pompilius, quem Curibus Sabinis agentem ultro petiuerunt ob inclitam uiri religionem. ille sacra et caerimonias omnemque cultum deorum inmortalium docuit, ille pontifices augures salios ceteraque sacerdotia, annumque in duodecim menses, fastos dies nefastosque descripsit, ille ancilia adque Palladium, secreta quaedam imperii pignora, Ianumque geminum, Fidem pacis ac belli, in primis focum Vestae uirginibus colendum dedit, ut ad simulacrum caelestium siderum custos imperii flamma uigilaret: haec omnia quasi monitu deae Egeriae, quo magis barbari acciperent. eo denique ferocem populum redegit ut, quod ui et iniuria occuparat imperium, religione adque iustitia gubernaret.

3 Excipit Pompilium Numam Tullus Hostilius, cui in honorem uirtutis regnum ultro datum. hic omnem militarem disciplinam artemque debellandi condidit. itaque mirum in modum exercita iuuentute prouocare ausus Albanos, grauem et diu principem populum. sed cum pari robore frequentibus proeliis utrique comminuerentur, misso in conpendium bello, Horatiis Curiatiisque, trigeminis hinc adque inde fratribus, utriusque populi fata permissa sunt. anceps et pulchra contentio exituque ipso mirabilis. tribus quippe illinc uolneratis, hinc duobus occisis, qui supererat Horatius addito ad uirtutem dolo, ut distraheret hostem simulat fugam singulosque, prout sequi poterant, adortus exuperat. sic — rarum alias decus — unius manu parta uictoria est, quam ille mox parricidio foedauit. flentem spolia circa se sponsi quidem, set hostis, sororem uiderat. hunc tam inmaturum amorem uirginis ultus est ferro. citauere leges nefas, set abs-

1 placitum desistat gentium *N* ‖ 2 poteretur *bN:* potiretur *B* ‖ 3 successit *I* ‖ 6 ceteraque per sacerdotia *N*, ceteraque populi Romani sacerdotia *Salmasius* ‖ annum quoque *N* ‖ 7 discripsit *NI*^{h}, conscripsit *I*^{p} ‖ ancilja *b*, anchilia *B* ‖ 8 ianumque bifrontem *I* ‖ 9 hac belli *B*, et belli *I*^{p} ‖ 11 dea egeriae *N*, egregiae *I* ‖ 13 occupauerat *N* ‖ 15 excepit *I* ‖ nūmam *B* ‖ tullius *BI*^{p} ‖ cuius in honorem *B*, cuius honore *I*^{p} ‖ 17 bellandi *IN* ‖ instituit *I* ‖ 18 exercita *I*^{h}*N:* excita *I*^{p}, exercitate *B* ‖ 19 armis et proeliis *I*^{p} ‖ 23 uulneratis *B* ‖ 24 oratius *BIN* ‖ 25 poterant *BI:* poterat *bN* ‖ 26 parata *b* ‖ 27 nam flentem *I* ‖ 29 uirginis amorem *N* ‖ citauere *N:* ut auderet *BI* ‖

I tulit uirtus parricidam, et facinus infra gloriam fuit. nec diu in fide Albanus. nam Fidenate bello missi in auxilium ex foedere medii inter duos expectauere fortunam. sed rex callidus ubi inclinare socios ad hostem uidet, tollit animos, quasi mandasset: spes inde nostris, metus hostibus. sic fraus proditorum irrita fuit. itaque hoste uicto ruptorem foederis Mettum Fufetium religatum inter duos currus pernicibus equis distrahit, Albamque ipsam quamuis parentem, aemulam tamen diruit, cum prius omnes opes urbis ipsumque populum Romam transtulisset; prorsus ut consanguinea ciuitas non perisse, sed in suum corpus redisse rursus uideretur.

Ancus deinde Marcius, nepos Pompilii ex filia, raro inge- 4
nio. igitur et muro moenia amplexus est, et interfluentem urbi Tiberinum ponte commisit, Ostiamque in ipso maris fluminisque confinio coloniam posuit; iam tum uidelicet praesagiens animo futurum ut totius mundi opes et commeatus illo uelut maritimo urbis hospitio reciperentur.

Tarquinius postea Priscus, quamuis transmarinae originis, 5
regnum ultro petens accepit ob industriam adque elegantiam; quippe qui oriundus Corintho Graecum ingenium Italicis artibus miscuisset. hic et senatus maiestatem numero ampliauit, et centuriis tribus auxit equites, quatenus Attius Nauius numerum augeri prohibebat, uir summus augurio. quem rex in experimentum rogauit, fierine posset, quod ipse mente conceperat? ille rem expertus augurio, posse respondit. 'atquin hoc' inquit 'agitaram, cotem illam secari nouacula posse;' et augur 'potest ergo' inquit, et secuit. inde Romanis sacer auguratus. neque pace Tarquinius quam bello promptior. duodecim namque Tusciae

1 intra *N* ‖ nec diu in fide *IN:* nec desit deinde *B* ‖ 2 missi ς: misit *BIN* ‖ et foedere *N* ‖ 3 callidum *b* ‖ callidus sub inclinare *N* ‖ quasi ipse *N* ‖ 6 metum *B* ‖ furetium *B*I^h, sustecium I^p, sufetium *N* ‖ 8 prius cum *N* ‖ 9 primus I^h, primum I^p ‖ romam *I:* ·R· *B*, romanum *N* ‖ 12 ex filia *om N* ‖ prauo *I*, pari *N* ‖ 13 moenia muro *N* ‖ influentem *I* ‖ 14 ponti *N* ‖ 16 illo *IN:* illut *B* ‖ 19 potens *B* ‖ 20 ingenio *b* ‖ 22 equites *addidit Pighius ann. a.* 138 *ante* centuriis, *om BIN* ‖ atius *BN*, actius *I* ‖ naeuius *B*, neuius *IN* ‖ 23 augeri *I:* augure *B*, augerit *N* ‖ prohibebatur *N* ‖ 24 ceperat *I* ‖ 25 atqui *B* ‖ hoc inquit *bis b* ‖ agitur an I^p, agitabam *N* ‖ 26 an cotem *N* ‖ secare *N* ‖ possim I^p, possem *N* ‖ et *om N* ‖ 26 potest *scripsi:* potes *BIN* ‖

populos frequentibus armis subegit. inde fasces trabeae curules anuli phalerae paludamenta praetextae, inde quod aureo curru, quattuor equis triumphatur, togae pictae tunicaeque palmatae, omnia denique decora et insignia, quibus imperii dignitas eminet, adsumpta sunt. *I*

6 Seruius Tullius deinceps gubernacula urbis inuadit, nec obscuritas inhibuit quamuis matre serua creatum. nam eximiam indolem uxor Tarquinii Tanaquil liberaliter educauerat, et clarum fore visa circa caput flamma promiserat. ergo inter Tarquinii mortem adnitente regina substitutus in locum regis quasi in tempus, regnum dolo partum sic egit industrie ut iure adeptus uideretur. ab hoc populus Romanus relatus in censum, digestus in classes, decuriis adque collegiis distributus, summaque regis sollertia ita est ordinata res publica, ut omnia patrimonii dignitatis aetatis artium officiorumque discrimina in tabulas referrentur, ac sic maxima ciuitas minimae domus diligentia contineretur.

7 Postremus fuit omnium regum Tarquinius, cui cognomen Superbo ex moribus datum. hic regnum auitum, quod a Seruio tenebatur, rapere maluit quam expectare, missisque in eum percussoribus scelere partam potestatem non melius egit quam adquisiuerat. nec abhorrebat moribus uxor Tullia, quae, ut uirum regem salutaret, supra cruentum patrem uecta carpento consternatos equos exegit. set ipse in senatum caedibus, in plebem uerberibus, in omnis superbia, quae crudelitate grauior est bonis, grassatus, cum saeuitiam domi fatigasset, tandem in hostes conuersus est. sic ualida oppida Latii capta sunt, Ardea Ocricolum Gabii Suessa Pometia. tum quoque cruentus in suos. neque enim filium uerberare dubitauit, ut simulanti transfugam aput hostis hinc fides esset. cui Gabiis, ut uoluerat, recepto et

2 falaerae *N* ‖ praetexta *N* ‖ 3 curro *B* ‖ 5 adsumpta sunt *scripsi:* ea sumpta sunt *B*, sumpta sunt *I*, *om N* ‖ 8 educarat *N* ‖ 10 adnitentem *b* ‖ quasi non tempus I^{p}, quasi tempus *N* ‖ 13 clases *B* ‖ curiis *N* ‖ 14 patrimonia *b* ‖ 15 dignitas *B* ‖ 16 ac si *B* ‖ 18 omnium fuit *N* ‖ cum *B* ‖ 20 inmissisque *N* ‖ 22 adquesierat *N* ‖ 24 egit *N* ‖ in plebem uerberibus *om N* ‖ 25 superbia atque crudelitate *N* ‖ 26 saeuitiiam *N* ‖ 27 oppida Latii *Hauptius:* oppida Latio *B*, latio oppida *I*, oppida in latio *N* ‖ 28 grauii *B* ‖ sessa *B* ‖ 30 hostes *IN* ‖ quo a gauiis *BI*, cui gabios *N* ‖ receptos *N* ‖

I per nuntios consulenti, quid fieri uellet, eminentia forte papauerum capita uirgula excutiens, cum per hoc interficiendos esse principes uellet intellegi, quasi superbia sileret respondit tamen. de manubiis captarum urbium templum erexit. quod cum inauguraretur, cedentibus ceteris dis — mira res dictu — restitere Iuuentas et Terminus. placuit uatibus contumacia numinum, si quidem firma omnia et aeterna pollicebantur. sed illut orrentius, quod molientibus aedem in fundamentis humanum repertum est caput, nec dubitauere cuncti monstrum pulcherrimum imperii sedem caputque terrarum promittere. tam diu superbiam regis populus Romanus perpessus est, donec aderat libido; hanc ex liberis eius inportunitatem tolerare non potuit. quorum cum alter ornatissimae feminae Lucretiae stuprum intulisset, matrona dedecus ferro expiauit, imperium regibus abrogatum.

II. ANACEPHALAEOSIS DE SEPTEM REGIBVS.

Haec est prima aetas populi Romani et quasi infantia, quam ha- 8
buit sub regibus septem, quadam fatorum industria tam uariis ingenio ut rei publicae ratio et utilitas postulabat. nam quid Romulo ardentius? tali opus fuit, ut inuaderet regnum. quid Numa religiosius? ita res poposcit, ut ferox populus deorum metu mitigaretur. quid? ille militiae artifex Tullus bellatoribus uiris quam necessarius, ut acueret ratione virtutem! quid? aedificator Ancus, ut urbem colonia extenderet, ponte iungeret, muro tueretur. iam uero ornamenta Tarquinii et insignia quantam principi populo addiderunt ex ipso habitu dignitatem! actus a Seruio census quid effecit, nisi ut ipsa se nosset Romana res

2 circula *B* ‖ 3 intellegi uellet *N* ‖ quasi *Titzius:* qua BI^h, quia I^p, quae *N* ‖ sileret *Hauptius:* sic *BIN* ‖ 5 caedentibus *B* ‖ de his *N* ‖ res dicitur extitisse restitere *BI* ‖ 6 contumatiam *B* ‖ 8 horrendum *N* ‖ molientibus edem *I*, molientibus sedem *N*, mouentibus sedem *B* ‖ 11 aberat *IN* ‖ 14 imperium tum regibus *N* ‖ 16 ANAKEPHALEOSIS *B*, ANACEPHALEOSIS *N* ‖ *inscriptionem om I* ‖ 18 septem per annos ut diximus CCXLIII *I* ‖ 21 popoposcit *B* ‖ 22 tullius NI^p ‖ 23 accueret *B* ‖ 24 coloniam *B* ‖ 27 efficit *N* ‖ romana *om N* ‖

publica? postremo Superbi illius inportuna dominatio non nihil, *I* immo uel plurimum profuit. sic enim effectum est ut agitatus iniuriis populus cupiditate libertatis incenderetur." [*I*]

III. DE MVTATIONE REI PVBLICAE.

9 Igitur Bruto Collatinoque ducibus et auctoribus, "quibus ultionem sui moriens matrona mandauerat, *I* populus Romanus ad uindicandum libertatis ac pudicitiae decus quodam quasi instinctu deorum concitatus regem repente destituit, bona diripit, agrum Marti suo consecrat, imperium in eosdem libertatis suae uindices transfert, mutato tamen et iure et nomine. quippe ex perpetuo annuum placuit, ex singulari duplex, ne potestas solitudine uel mora corrumperetur, consulesque appellauit pro regibus, ut consulere se ciuibus suis debere meminissent. tantumque libertatis nouae gaudium incesserat, ut uix mutati status fidem caperet alterumque ex consulibus, Lucretiae maritum, tantum ob nomen et genus regium fascibus abrogatis urbe dimitteret. itaque substitutus Horatius Publicola summo studio adnisus est ad augendam liberi populi maiestatem. nam et fasces ei pro contione summisit, et ius prouocationis aduersus ipsos dedit, et ne specie arcis offenderet eminentis aedis suas in plana summisit. Brutus uero fauori ciuium etiam domus suae clade et parricidio uelificatus est. quippe cum studere reuocandis in urbem regibus liberos suos comperisset, protraxit in forum et contione media uirgis cecidit, securi percussit, ut plane publicus parens in locum liberorum adoptasse sibi populum uideretur.

Liber iam hinc populus Romanus prima aduersus exteros arma pro libertate corripuit, mox pro finibus, deinde pro sociis,

3 incendetur *B* ‖ *post* incenderetur *de suis quaedam interponit I* ‖ 5 conlatinoque *N* ‖ 8 distituit *B* ‖ 10 et indice et nomine *N* ‖ 11 annuum *I*: annum *BN* ‖ et singulari *B* ‖ 13 se *om BI* ‖ 14 libertati *B* ‖ incenserat *B*, intercesserat *I* ‖ 15 caperent *IN* ‖ lucretiae maritum *om N* ‖ 16 obrogatis *N* ‖ urbem *BN* ‖ 17 dimitterent *IN* ‖ oratius *BIN* ‖ ex summo *N* ‖ 18 annisus *I*, ammissus *B* ‖ augendum *B* ‖ magestatem *B* ‖ 19 aduersos *b* ‖ 20 species *I* ‖ aeminentis aedis *b*, aeminentes aedes *B* ‖ 21 planas *B* ‖ cium *b* ‖ 23 urbe *B* ‖ 24 securique *I*, et securi *N* ‖

I tum gloria et imperio, lacessentibus adsidue usquequaque finitimis; quippe cui patrii soli glaeba nulla, set statim hostile pomerium, mediusque inter Latium adque Etruscos quasi in quodam biuio conlocatus omnibus portis in hostem incurreret; donec quasi contagio quodam per singulos itum est et proximis qui-[*I*]busque correptis totam Italiam sub se redegerunt."

IIII. BELLVM ETRVSCVM CVM REGE PORSENNA.

I Pulsis urbe regibus prima pro libertate arma corripuit. "nam 10 Porsenna rex Etruscorum ingentibus copiis aderat et Tarquinios manu reducebat. hunc tamen, quamuis et armis et fame urgueret occupatoque Ianiculo in ipsis urbis faucibus incubaret, sustinuit reppulit, nouissime etiam tanta admiratione perculit, [*I*]ut superior ultro cum paene uictis amicitiae foedera feriret." tunc illa ni Romani nominis prodigia adque miracula, Horatius Mucius Cloelia, qui nisi in annalibus forent, hodie fabulae uiderentur. quippe Horatius Cocles postquam hostes undique instantes solus summouere non poterat, ponte rescisso transnatat Tiberim *I* nec arma dimittit. Mucius Scaeuola "regem per insidias in castris ipsius adgreditur, sed ubi frustrato circa purpuratum eius ictu tenetur, ardentibus focis inicit manum terroremque geminat dolo. 'en, ut scias', inquit 'quem uirum effugeris; idem trecenti iurauimus;' cum interim — inmane dictu — hic interritus, ille trepidaret, tamquam manus regis arderet. sic quidem uiri, sed ne qui sexus a laude cessaret, ecce et uirginum uirtus. una ex opsidibus regi datis elapsa custodiae, Cloelia, per patrium flumen equitabat. et rex quidem tot tantisque uirtutum territus mon-

1 imperium lacescentibus *B* ‖ adsiduae *BN* ‖ 2 cui *Salmasius:* cum *BIN* ‖ patri *N* ‖ sed *B*, sit sed *I*, sit *N* ‖ 3 ettruscos *B*, tuscos *N* ‖ 5 contagione quadam *N* ‖ et *om B* ‖ 7 BELLVM *om B* ‖ 8 ex urbe regni *N* ‖ 9 prosenna *N* ‖ etrusticorum *B* ‖ 11 urgeret *N* ‖ in *om N* ‖ 13 cum poena *B* ‖ 14 illa ni *scripsi:* illa in *B* ‖ illa romana prodigia *N* ‖ oratius muctius *B* ‖ 15 que *N* ‖ 16 oratius *B* ‖ 19 frustratum I^h, frustratus I^p ‖ purporatum *BN* ‖ 20 hictu *N* ‖ intulit *I* ‖ 21 en *om N* ‖ sciat *b* ‖ inquid *B* ‖ 23 aderet *b* ‖ et *I* ‖ ne quid sexus *N*, ne sexus alter *I* ‖ 24 obsidibus *BI* ‖ 25 datis *Tollius:* data *BI*, dat *N* ‖ etlapsa *b* ‖ custodiam *N* ‖ 26 et *om I* ‖ monitis *N* ‖

stris ualere liberosque esse iussit. Tarquinii tamen tam diu dimicauerunt, donec Arruntem filium regis manu sua Brutus occidit superque ipsum mutuo uolnere expirauit, plane quasi adulterum ad inferos usque sequeretur." *I* [*I*]

V. BELLVM LATINVM.

11 Latini quoque Tarquinios adserebant aemulatione et inuidia, ut populus qui foris dominabatur saltim domi seruiret. igitur omne Latium Mamilio Tusculano duce quasi in regis ultionem tollit animos. aput Regilli lacum dimicauit diu Marte uario, donec Postumius ipse dictator signum in hostis iaculatus est — nouum et insigne commentum — ut inde repeteretur. Cossus equitum magister exuere frenos imperauit — et hoc nouum — quo acrius incurrerent. ea denique atrocitas fuit proelii, ut interfuisse spectaculo deos fama tradiderit. duo in candidis equis iuuenes more siderum praeteruolauerunt; Castorem adque Pollucem nemo dubitauit. itaque et imperator ipse ueneratus est pactusque uictoriam templa promisit et reddidit, plane quasi stipendium commilitonibus dis.

Hactenus pro libertate, mox de finibus cum isdem Latinis adsidue et sine intermissione pugnatum est. Cora — quis credat? — et Alsium terrori fuerunt, Satricum adque Corniculum prouinciae. "de Verulis et Bouillis — pudet, sed triumphauimus. *I* Tibur, nunc suburbanum, et aestiuae Praeneste deliciae nuncupatis in Capitolio uotis petebantur. idem tunc Faesulae quod Carrhae nuper, idem nemus Aricinum quod Hercynius saltus, Fregellae quod Caesoriacum, Tiberis quod Euphrates. Coriolos

1 tamendiu *I*[h], tamen *om I*[p]*N* ‖ tandiu *I*[p] ‖ 3 uulnere *B* ‖ 5 BELLVM *om B* ‖ 7 saltem *N* ‖ 9 dimicatur *N* ‖ arte *b* ‖ 10 posthumus *B*, poštumus *N* ‖ dignum *N* ‖ 11 ut inde repeteretur *scripsi Perizonium secutus:* ut inde ipse peteretur *B*, uti peteretur cursu *N* ‖ 13 quod *N* ‖ 15 iuvenes more siderum praeteruolauerunt *om N* ‖ pullucem *N* ‖ 16 ipse *om N* ‖ 18 deis *N* ‖ 19 actenus *N* ‖ hisdem *B* ‖ 20 cora ς: sora *BN* ‖ 21 algidum *N* ‖ 22 triumphauere romani *I* ‖ 23 preneste *B* ‖ 24 phaesulae *B* ‖ 25 carrhe *B*, charrae *I*, caprae *N* ‖ haecynius *B*, hercylius *I* ‖ 26 gesoriacum quod tigris quod eufrates *N* ‖

I quoque — pro pudor — uictos adeo gloriae fuisse, ut captum oppidum Gneus Marcius Coriolanus quasi Numantiam aut Africam nomini indueret. extant et parta de Antio spolia, quae Maenius in suggestu fori capta hostium classe suffixit — si tamen illa classis, nam sex fuere rostratae. sed hic numerus illis initiis naualε bellum fuit. peruicacissimi tamen Latinorum Aequi et Volsci fuere et cotidiani, ut sic dixerim; hostes. sed hos praecipue Titus Quinctius domuit, ille dictator ab aratro, qui obsessa et paene iam capta Manili consulis castra egregia uictoria recuperavit. medium erat tempus forte sementis, cum patricium uirum innixum aratro suo lictor in ipso opere deprehendit. inde in aciem profectus, uictos, ne quid a rustici operis imitatione cessaret, more pecudum sub iugum misit. sic expeditione finita rediit ad boues rursus triumphalis agricola — fidem numinum — qua velocitate! intra quindecim dies coeptum peractumque bellum, prorsus ut festinasse dictator ad relictum opus [*I*]uideretur.

VI. BELLVM CVM ETRVSCIS FALISCIS VEIENTIBVS FIDENATIBVS.

Adsidui uero et anniuersarii hostes ab Etruria fuere Veientes; 12
adeo ut extraordinariam manum aduersus eos promiserit priuatumque gesserit bellum gens una Fabiorum. satis superque nota clades. caesi aput Cremeram trecenti, patricius exercitus; id scelerato signat nomine quae proficiscentes in proelium porta dimisit. sed ea clades ingentibus expiata uictoriis, postquam per alios adque alios robustissima capta sunt oppida, uario quidem euentu. Falisci se sponte dediderunt, crematae suo igne Fide-

1 uictus BI^h ‖ glariae *b* ‖ 3 nomine *B* ‖ induere *B*, induerit I^P, induceret *N* ‖ 4 menius *I*, menenius *B*, moenibus *N* ‖ sugestu *b* ‖ 5 fuere solae rostratae *N* ‖ hic *om B* ‖ 7 uulsci *B* ‖ quottidiani *B* ‖ et *I* ‖ sed hos *om B* ‖ 9 manlii *I*, marci mamili *N* ‖ egregia uirtute seruauit *N* ‖ 11 ab aratro *N* ‖ 12 uictos *om I*, *post* cessaret *ponit N* ‖ 13 sic *om I* ‖ expeditioneque *I* ‖ 14 redit $I^P N$ ‖ fide $I^P N$ ‖ 18 FALISCVM ET FIDENATE *N* ‖ PHALISCIS *B* ‖ 19 FIDENATIS *B* ‖ 23 idonea clades *N* ‖ id *scripsi:* it *B*, et *N* ‖ 24 signata *N* ‖ 26 alios duces *N* ‖ 27 phalisci *B* ‖ cremati *N* ‖ fidenidaerepti *b*, fidenae daerepti *B*, fidenates rapti *N* ‖

nae, direpti funditus deletique Veientes. Falisci cum obsiderentur, mira eis uisa fides imperatoris, nec inmerito, quod ludi magistrum, urbis proditorem, cum his quos adduxerat pueris uinctum sibi ultro remisisset. eam namque uir sanctus et sapiens ueram sciebat esse uictoriam, quae salua fide et integra dignitate pareretur. Fidenae quia pares non erant ferro, ad terrorem mouendum facibus armatae et discoloribus serpentium in modum uittis furiali more processerant; sed habitus ille feralis euersionis omen fuit. Vei quanta res fuerit, indicat decennis obsidio. tum primo hiematum sub pellibus, taxata stipendio hiberna, adactus miles sua sponte iure iurando ne nisi capta urbe remearet. spolia de Larte Tolumnio ad Feretrium triumpho reportata. denique non scalis nec inruptione, sed cuniculo et subterraneis dolis peractum urbis excidium. ea denique uisa est praedae magnitudo, cuius decima Apollini Pythio mitteretur, uniuersusque populus Romanus ad direptionem urbis uocaretur. hoc tunc Vei fuere. nunc fuisse quis meminit? quae reliquiae? quod uestigium? laborat annalium fides, ut Veios fuisse credamus.

VII. BELLVM GALLICVM.

13 Hic siue inuidia deum siue fato rapidissimus procurrentis imperii cursus parumper Gallorum Senonum incursione supprimitur. quod tempus populo Romano nescio utrum clade funestius fuerit, an uirtutis experimentis speciosius. ea certe fuit uis calamitatis ut in experimentum inlatam putem diuinitus, scire uolentibus inmortalibus dis, an Romana uirtus imperium orbis mereretur.

"Galli Senones, gens natura ferox, moribus incon- *I*
dita, ad hoc ipsa corporum mole, perinde armis ingentibus, adeo omni genere terribilis fuit ut plane nata ad hominum

1 funditus sallentini deletique *B* ‖ phalisci *B* ‖ 2 eis uisa *scripsi:* est uisa *B*, uisa est *N* ‖ 6 pareretur *Nb*, pararetur *B* ‖ at *b* ‖ 7 serpentum *N* ‖ immodum *B* ‖ 9 uel *N* ‖ inmodicat *N* ‖ 10 tunc primum *N* ‖ suppelibus *B* ‖ 11 ne *om N* ‖ 12 ad Feretrium triumpho reportata *scripsi:* afferret triumphum reportaret *B*, ad feretrium reportata *N* ‖ 15 decima *scripsi:* decimae *BN* ‖ mitteretur *B:* mitterentur *N* ‖ 17 uel *N* ‖ 18 quodue *N* ‖ ueios *bis b* ‖ 21 fatorum *B* ‖ 25 inlatūam *B* ‖

I interitum, urbium stragem uideretur. hi quondam ab ultimis terrarum oris et cingente omnia Oceano ingenti agmine profecti, cum iam media uastassent, positis inter Alpes et Padum sedibus, ne his quidem contenti per Italiam uagabantur; tum Clusium urbem obsidebant. pro sociis ac foederatis Romanus interuenit; missi ex more legati. sed quod ius aput barbaros? ferocius agunt; et inde certamen. conuersis igitur a Clusio Romamque uenientibus ad Aliam flumen cum exercitu Fabius consul occurrit. non temere foedior clades; itaque hunc diem fastis Roma damnavit. fuso exercitu iam moenibus urbis propinquabant. erant nulla praesidia. tum igitur sic ut numquam alias apparuit uera illa Romana uirtus. iam primum maiores natu, amplissimis usi honoribus, in forum coeunt, ibi deuouente pontifice dis se manibus consecrant, statimque in suas quisque aedes regressi sic ut in trabeis erant et amplissimo cultu in curulibus sellis sese reposuerunt, ut, cum uenisset hostis, in sua quisque dignitate moreretur. pontifices et flamines quidquid religiosissimi in templis erat partim in doleis defossa terra recondunt, partim inposita plaustris secum Veios auferunt. uirgines simul ex sacerdotio Vestae nudo pede fugientia sacra comitantur. tamen excepisse fugientis unus ex plebe fertur Atinius, qui depositis uxore et liberis uirgines in plaustrum recepit. adeo tunc quoque in ultimis religio publica priuatis adfectibus antecellebat. iuuentus uero, quam satis constat uix mille hominum fuisse, duce Manlio arcem Capitolini montis insedit, obtestata ipsum quasi praesentem Iouem, ut quem ad modum ipsi ad defendendum templum eius concurrissent, ita ille uirtutem eorum numine suo tueretur. aderant interim Galli apertamque urbem primo trepidi, ne quis subesset dolus, mox, ubi solitudinem uident, pari clamore et impetu inuadunt. patentis passim domos adeunt. ibi sedentes

4 bacchabantur *I* || tunc clusium tusciae urbem *I* || 5 ubi pro *I* || 6 missus *I* || legatus *I* || 7 conuersi galli a clusio romam, quibus ad *I* || 8 fauius *N* || occurrit consul *I* || 9 cladis *B* || 10 adpropinquabant *IN* || 11 ubi pene nulla erant praesidia *I* || igitur aut numquam *N* || 13 se *om B* || 15 trabei*erat *b* || 16 posuerunt *N* || quisque *om N* || 17 morerentur *N* || quitquit *N* || 18 terrae *N* || 19 ueios *om N* || 20 fugentia *B* || 21 fugientes *B*, fugentis *N* || e I^hN, de I^p || albinius *N* || 22 tum *N* || 24 manilio *B* || 26 iouem *om N* || 27 occurrissent *I* || 28 erant *N* || primo — domos *om I* || qui *N* || 29 uidet *b* || ut pari *BI* || 30 patentes *B* || domus *N* || ubi *N* ||

in curulibus suis praetextatos senes uelut deos geniosque uenerati, *I* mox eosdem, postquam esse homines liquebat, alioquin nihil respondere dignantes pari uecordia mactant, facesque tectis iniciunt, et totam urbem igni ferro manibus exaequant. sex mensibus barbari — quis crederet? — circa montem unum pependerunt, nec diebus modo, sed noctibus quoque omnia experti; cum tamen Manlius nocte subeuntis clangore anseris excitatus a summa rupe deiecit, et ut spem hostibus demeret, quamquam in summa fame, tamen ad speciem fiduciae panes ab arce iaculatus est. et stato quodam die per medias hostium custodias Fabium pontificem ab arce dimisit, qui sollemne sacrum in Quirinali monte conficeret. atque ille per media hostium tela incolumis religionis auxilio rediuit propitiosque deos renuntiauit. nouissime cum iam obsidio sua barbaros fatigasset, mille pondo auri recessum suum uenditantes, idque ipsum per insolentiam, cum ad iniqua pondera addito adhuc gladio insuper 'uae uictis' increparent, subito adgressus a tergo Camillus adeo cecidit ut omnia incendiorum uestigia Gallici sanguinis inundatione deleret. agere gratias dis inmortalibus ipso tantae cladis [*I*] nomine libet. pastorum casas ignis ille, et flamma paupertatem Romuli abscondit. incendium illud quid egit aliud, nisi ut destinata hominum ac deorum domicilio ciuitas non deleta nec obruta, sed expiata potius et lustrata uideatur? igitur post adsertam a Manlio, restitutam a Camillo urbem acrius etiam uehementiusque in finitimos resurrexit.

VIII. BELLA GALLICA.

Ac primum omnium illam ipsam Gallicam gentem non contentus moenibus expulisse, cum per Italiam naufragia sua latius *I* traherent, sic persecutus est duce Camillo, ut hodie nulla Senonum uestigia supersint. semel aput Anienem trucidati, cum sin-

3 uaecordia *B* || 4 igne *N* || 5 credere *B* || 8 rupe — summa *om B* || 10 stato *Nb*: statuto *BI* || 13 rediit *I*, reddit *N* || 15 idque — ut omnia *om I* || 16 insuper uae uictis *scripsi Salmasium secutus*: insuper uictis *B*, superbe uictis *N* || 18 caecidit *B* || 18 inmundatione *B* || 21 illut *N* || 22 domicilium *B* || 24 amillio *B* || 25 ueementiusque *b* || finimos *B* || 29 traerent *B*, traeret *b*, traheret *N* || ductante *I* ||

I gulari certamine Manlius aureum torquem barbaro inter spolia detraxit, unde Torquati. iterum Pomptino agro, cum in simili pugna Valerius, insidente galeae sacra alite adiutus, tulit spolia; et inde Coruini. nec non tamen post aliquot annos omnis reliquias eorum in Etruria ad lacum Vadimonis Dolabella deleuit, ne quis extaret ex ea gente, qui incensam a se Romam urbem [*I*]gloriaretur."

VIIII. BELLVM LATINVM.

14 Conuersus a Gallis in Latinos Manlio Torquato Decio Mure consulibus, semper quidem aemulatione imperii infestos, tum uero contemptu urbis incensae, cum ius ciuitatis pari imperio et magistratu poscerent, aput Capuam proeliis congredi audentes. quo tempore quis cessisse hostem mirabitur? cum alter consulum filium suum, quia contra imperium pugnauerat, quamuis uictorem occiderit ostenderitque plus in imperio esse quam in uictoria; alter quasi monitu deorum capite uelato primam ante aciem dis manibus se deuouerit, ut in confertissima se hostium tela iaculatus nouum ad uictoriam iter sanguinis sui limite aperiret.

X. BELLVM SABINVM.

15 A Latinis adgressus est gentem Sabinorum, qui immemores factae sub Tito Tatio adfinitatis quodam contagio bellis se Latinis adiuncxerant. sed Curio Dentato consule omnem eum tractum, qua Nar Anio, fontes Velini, Hadriano tenus mari igni ferroque uastauit. qua uictoria tantum hominum, tantum

2 inde *N* ‖ torquatus dictus est *I* ‖ 3 l ualerius *N* ‖ retulit *IN* ‖ 4 dictusque est ipse coruinus *I* ‖ coruinii *N* ‖ aliquod *Nb* ‖ omnes *IN* ‖ 5 uadimontis *I* ‖ 6 in ea *N* ‖ qui I^p: quae BI^hN ‖ Romanam *BIN* ‖ 10 consule *B*, cos. *N* ‖ 11 partem imperii *N* ‖ 12 magistratu *Mommsenius*: magistratum *B*, magistratuum *N* ‖ aput Capuam *scripsi*: apud quam *B*, aput quam *N* ‖ proeliis *Mommsenius*: amplius *B*, amplius quam *N* ‖ audentes *Mommsenius*: auderent *BN* ‖ 14 pugnauerat *ς*: repugnauerat *B*, pugnauerit *N* ‖ 15 occiderit quia plus in imperio esset *N* ‖ hostenderetque *B* ‖ 17 se deuoluerit in *N* ‖ 18 limite *B*: semita *N* ‖ 21 contagione *N* ‖ 22 adiuncxerat *B* ‖ demtato *N* ‖ 23 fontesque *N* ‖ hadriatico tentus *N* ‖ 24 igne *N* ‖ uastabit *B* ‖ tantum hominum *om B* ‖

agrorum redactum est in potestatem ut in utro plus esset nec ipse posset aestimare qui uicerat.

XI. BELLVM SAMNITICVM.

16 "Precibus deinde Campaniae motus non pro se, sed eo speciosius pro sociis Samnitas inuadit. erat foedus cum utrisque percussum, sed hoc Campani sanctius et prius omnium suorum deditione fecerunt; sic ergo Romanus bellum Samniticum tamquam sibi gessit. I

Omnium non modo Italiae, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniae plaga est. nihil mollius caelo: denique bis floribus uernat. nihil uberius solo: ideo Liberi Cererisque certamen dicitur. nihil hospitalius mari: hic illi nobiles portus Caieta Misenus, tepentes fontibus Baiae, Lucrinus et Auernus, quaedam maris otia. hic amici uitibus montes Gaurus Falernus Massicus et pulcherrimus omnium Vesuuius, Aetnaei ignis imitator. urbes ad mare Formiae Cumae Puteoli Neapolis Herculaneum Pompei, et ipsa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas numerata. pro hac urbe, his regionibus populus Romanus Samnitas inuadit, gentem, si opulentiam quaeras, aureis et argenteis armis et discolori ueste usque ad ambitum ornatam; si fallaciam, saltibus fere et montium fraude grassantem; si rabiem ac furorem, sacratis legibus humanisque hostiis in exitium urbis agitatam; si pertinaciam, sexies rupto foedere cladibusque ipsis animosiorem. hos tamen quinquaginta annis per Fabios ac Papirios patres eorumque liberos ita subegit ac domuit, ita ruinas ipsas urbium diruit, ut hodie Samnium in ipso Samnio requiratur nec facile appareat materia quattuor et uiginti triumphorum. maxime tamen nota

1 est *om N* || 4 eo speciosus *B*, *om I* || 5 erat — gessit *om I* || 7 deditionem *B* || 9 non italiae tantum sed pene toto *I* || 12 hospitalibus *b* || hic *bIN*: hinc *B* || 13 et tepentes *N* || 14 ostia *J* || amicti *N* || 15 cunctorum vesubius *I* || ethnei *IN* || 16 at *N* || 17 herculanium *B* || 18 romam carthaginemque *post* maximas *add BIN*, *del Hauptius*. || numeranda *I* || 19 invasit *N* || 20 armatam misit discoloribus *N* || 21 ambituum *b* || ornatam *Heinsius*: armatam *B*, *om N* || fallatiam *N* || 22 crassantem *IN* || sacris *B* || 25 et *N* || 27 ipsa *IN* ||

I et inlustris aput Caudinas furculas ex hac gente clades Veturio Postumioque consulibus accepta est. cluso per insidias intra eum saltum exercitu, unde non posset euadere, stupens tanta occasione dux hostium Pontius Herennium patrem consuluit. et ille, mitteret omnes uel occideret, sapienter ut senior suaserat, hic armis exutos mittere sub iugum maluit, ut nec amici forent beneficio et post flagitium hostes magis. itaque et consules statim magnifice uoluntaria deditione turpitudinem foederis dirimunt, et ultionem flagitans miles Papirio duce — horribile dictu — strictis ensibus per ipsam uiam ante pugnam furit; et in congressu arsisse omnium oculos hostis auctor fuit. nec prius finis caedibus datus, quam iugum et hostibus et duci capto reposuerunt.

XII. BELLVM ETRVSCVM SAMNITICVM GALLICVM.

Hactenus populus Romanus cum singulis gentibus, mox 17
aceruatim; sic quoque par omnibus fuit. Etruscorum duodecim populi, Vmbri in id tempus intacti, antiquissimus Italiae populus, Samnitium reliqui in excidium Romani nominis repente coniurant. erat terror ingens tot simul tantorumque populorum. late per Etruriam infesta quattuor agminum signa uolitabant. Ciminius interim saltus in medio, ante inuius plane quasi Caledonius uel Hercynius, adeo tum terrori erat ut senatus consuli denuntiaret ne tantum periculi ingredi auderet. set nihil horum terruit ducem, quin fratre praemisso exploraret accessus. ille per noctem pastorali habitu speculatus omnia refert tutum iter. sic Fabius Maximus periculosissimum bellum sine periculo explicuit. nam subito inconditos adque palantis ad-

1 furgulas *B* ‖ glades *B* ‖ inlustris ex hac gente clades aput caudinas furculas *N* ‖ 2 clauso *N* ‖ 3 occansione *B*, occassione I^hN ‖ 8 uolumtaria *B* ‖ 10 structis *B* ‖ furit ς: fuit *BIN* ‖ 15 populo romano *N*, *om I* ‖ gentium *N* ‖ 16 aceruatim; sic *scripsi*: aceruatim sic tamen *B*, cateruatim sic tamen *I*, aceruatim tamen sic *N* ‖ 19 coniuranteratteritis (s cc rsi *superscr.*) ingens *B* ‖ 20 a latere etruriam infestam *N* ‖ 21 ciminius ς: geminius *BIN* ‖ 22 calydonius I^h, calidonius I^PN ‖ herquinius BI^h, hercunius I^P, hercinius *N* ‖ tunc *N*, *om I* ‖ erant *B* ‖ 24 explorat *N* ‖ 25 pastorio *N* ‖ refert tum iter *N* ‖ 26 sine *om N* ‖ 27 explicauit *N* ‖ palantes *BI* ‖

gressus est captisque superioribus iugis in subiectos suo iure *I* detonuit. ea namque species fuit illius belli, quasi in terrigenas e caelo ac nubibus tela iacerentur. nec incruenta tamen illa uictoria. nam oppressus in sinu uallis alter consulum Decius more patrio deuotum dis manibus optulit caput, sollemnemque familiae suae consecrationem in uictoriae pretium redegit.

XIII. BELLVM TARENTINVM.

18 Sequitur bellum Tarentinum, unum quidem titulo et nomine, set uictoria multiplex. hoc enim Campanos Apulos atque Lucanos et caput belli Tarentinos, id est totam Italiam et cum his omnibus Pyrrhum, clarissimum Graeciae regem, úna úeluti ruina pariter inuoluit, ut eodem tempore et Italiam consummaret et transmarinos triumphos auspicaretur. Tarentus, Lacedaemoniorum opus, Calabriae quondam et Apuliae totiusque Lucaniae caput, cum magnitudine et muris portuque nobilis, tum mirabilis situ. quippe in ipsis Hadriani maris faucibus posita in omnis terras, Histriam Illyricum Epiron Achaiam Africam Siciliam uela dimittit. imminet portui ad prospectum maris positum theatrum, quod quidem causa miserae ciuitati fuit omnium calamitatium. ludos forte celebrabat, cum adremigantes litori Romanas classes uident, atque hostem rati emicant, sine discrimine insultant. qui enim aut unde Romani? nec satis. aderat sine mora querellam ferens legatio. hanc quoque foede per obscenam turpemque dictu contumeliam uiolant; et hinc bellum. sed apparatus horribilis, cum tot simul populi pro Tarentinis consurgerent omnibusque uehementior Pyrrhus, qui semigraecam ex Lacedaemoniis conditoribus ciuitatem uindicaturus cum totis uiribus Epiri Thessaliae Macedoniae incognitisque in id

3 ac *om B* ‖ 6 peregit *B* ‖ 8 necdum etrusco bello exempto mox sequitur tarentinum *I* ‖ quidem in nomine *I* ‖ 9 in uictoriis *I* ‖ 11 iis *b*, istis *N* ‖ pyrrum *I* ‖ epirotarum graeciae *I* ‖ 13 tarentos *N* ‖ 14 apulianae *B* ‖ 16 mirabili *B* ‖ adriae *I*, hadriatici *N* ‖ 17 hystriam *B* ‖ epirum *N* ‖ 19 maius theatrum *N* ‖ theathrum *B* ‖ 20 calamitatum *N* ‖ litore *B* ‖ 21 classem *I* ‖ 22 et insultant *I* ‖ 23 quaerellam *B* ‖ foedere *B* ‖ opscenam *N* ‖ 25 populi portarent his consurgerent *N* ‖ 26 veementior *b* ‖ pyrrus *IN* ‖ 28 totius *N* ‖ eperi *b*, epyri *BIN* ‖

I tempus elephantis mari terra. uiris equis armis, addito insuper ferarum terrore ueniebat. aput Heracleam Campaniae fluuiumque Lirim Laeuino consule prima pugna, quae tam atrox fuit ut Ferentanae turmae praefectus Obsidius, inuectus in regem, turbauerit coegeritque proiectis insignibus proelio excedere. actum erat, nisi elephanti, conuerso in spectaculum bello, procucurrissent, quorum cum magnitudine tum deformitate et nouo odore simul ac stridore consternati equi, cum incognitas sibi beluas amplius quam erant suspicarentur, fugam stragemque late dederunt. in Apulia deinde aput Asculum melius dimicatum est Curio Fabricioque consulibus. iam quippe terror beluarum exoleuerat, et Gaius Numicius quartae legionis hastatus unius proboscide abscisa mori posse beluas ostenderat. itaque in ipsas pila congesta sunt, et in turres uibratae faces tota hostium agmina ardentibus ruinis operuerunt, nec prius cladi finis fuit quam nox dirimeret, postremusque fugientium rex ipse a satellitibus umero saucius in armis suis referretur. Lucaniae suprema pugna sub Arusinis, quos uocant, campis, ducibus isdem quibus superius; sed tum tota uictoria. exitum, quem datura uirtus fuit, casus dedit. nam prouectis in primam aciem rursus elephantis, unum ex eis pullum adacti in caput teli grauis ictus auertit; qui cum per stragem suorum recurrens stridore quereretur, mater agnouit et quasi uindicaret exiluit, tum omnia circa quasi hostilia graui mole permiscuit. ac sic eaedem ferae, quae primam uictoriam abstulerunt, secundam parem fecerunt, tertiam sine controuersia tradiderunt. nec uero tantum armis et in campo, set consiliis quoque et domi cum rege Pyrrho dimi-

2 eracleam *BI* ‖ et campaniae fluuium lirim *N* ‖ 3 lirim *bN*: lyrim *B*, lirem *I* ‖ 4 ferentaneae *B*, forentaneae *I*, ferrentaneae *N* ‖ ossidius *B*, opsidius *N* ‖ 5 factum *N* ‖ 6 conuersi *N* ‖ belli *N* ‖ procurrissent *I* ‖ 8 simul hac *B* ‖ qui cum *N* ‖ 9 belluas *b* ‖ 13 primus *Ouwensius noctt Hag p* 314 ‖ prom$\overset{u}{o}$scide $I^h N$, promuscide *B a 2 manu* ‖ hostenderat *B* ‖ 13 itaque et in *N* ‖ 15 hagmina *B* ‖ prius *Mommsenius*: alius *BNI* ‖ gladi *N* ‖ 16 ipse rex *N* ‖ 17 humero *B* ‖ umeros angius sin armis *N* ‖ 18 sybarusinis *B*, sub haros in his *I* ‖ pugna fuit Arusinis *Mommsenius* ‖ hisdem *BI* ‖ 19 tunc *N* ‖ 20 productis *N* ‖ rusus *b* ‖ 21 his *IN* ‖ 22 percurrens *N* ‖ 24 hostilia circa more permiscuit *N* ‖ eedem fere I^p, aedem ferae BI^h, eadem fere *N* ‖ 25 abstulerant NI^p ‖ 26 tantis *B* ‖ nec in *B* ‖ 27 campos I^h, campis $I^p N$ ‖ consiliis et domi quoque *I* ‖ domi cum *scripsi*: domi intra urbem cum *BNI* ‖

catum est. quippe post primam uictoriam intellecta uir callidus *I* uirtute Romana statim desperauit armis seque ad dolos contulit. nam interemptos cremauit, captiuosque indulgenter habuit et sine pretio restituit, missisque legatis in urbem omni modo adnisus est ut facto foedere in amicitiam reciperetur. sed et bello et pace et foris et domi omnem in partem Romana uirtus tum se adprobauit, nec alia magis quam Tarentina uictoria ostendit populi Romani fortitudinem, senatus sapientiam, ducum magnanimitatem." quinam illi fuerunt uiri quos ab elephantis [*I*] primo proelio obtritos accepimus? omnium uulnera in pectore, quidam hostibus suis morte sua conmortui, omnium in manibus ensis, et relictae in uoltibus minae, et in ipsa morte ira uiuebat. quod adeo Pyrrhus miratus est ut diceret 'o quam facile erat orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus datis, aut me rege Romanis!' quae autem eorum, qui superfuerunt, in reparando exercitu festinatio? cum Pyrrhus 'uideo me' inquit 'plane procreatum Herculis semine, cui quasi ab angue Lernaeo tot caesa hostium capita quasi de sanguine suo renascuntur.' qui autem ille senatus fuit? cum perorante Appio Caeco pulsi cum muneribus suis ab urbe legati interroganti regi suo, quid de hostium sede sentirent, urbem templum sibi uisam, senatum regum esse confiterentur. quid porro ipsi duces? uel in castris, cum medicum uenale regis caput offerentem Curius remisit, Fabricius oblatam sibi a rege imperii partem repudiauit; uel in pace, cum Curius fictilia sua Samnitico praeferret auro, Fabricius decem pondo argenti circa Rufinum consularem uirum quasi luxuriam censoria grauitate damnaret. quis ergo miretur eis moribus, ea uirtute militum uictorem populum Romanum fuisse, unoque bello Tarentino intra quadriennium maximam partem

1 quippe postrema uictoriam *B* || uictoriam rex callidus intellecta *N* || uir callidus *om I* || 2 romana uirtute *I* || 4 missique *B* || missisque dein legatis *N* || 5 amicitia *B* || sed bello et pace foris *N* || 7 hostendit *B* || 11 hostibus suis inmortui *N* || 12 uultibus *B* || 14 datis *om N* || 16 uideo me ς: idem omne *BN* || inquid *B* || 17 herculi *B* || sidere procreatum *N* || lerneo *B*, elernaeo *N* || 18 quasi *om N* || 21 senatum regnum deum esse *N* || 22 qui *N* || 23 quod medicum *N* || regis pyrrhi *N* || adferentem *N* || 24 oblata *B* || parte *B* || 26 aargenti *B* || consolarem *B* || 27 his *BN* || 28 ea *om N* || millitum *N* || uictorem populum Romanum ς: exercitum populi romani *B*, uictorum populum romanum *N* ||

Italiae, fortissimas gentes, opulentissimas urbes uberrimasque regiones subegisse? aut quid adeo fidem superet, quam si principia belli cum exitu conferantur? uictor primo proelio Pyrrhus, tota tremente Campania Lirim Fregellasque populatus, prope captam urbem a Praenestina arce prospexit et a uicensimo lapide oculos trepidae ciuitatis fumo ac puluere impleuit. eodem postea bis exuto castris, bis saucio et in Graeciam suam trans mare ac terras fugato, pax et quies et tanta de opulentissimis tot genti-
I bus spolia ut uictoriam suam Roma non caperet. "nec enim temere ullus pulchrior in urbem aut speciosior triumphus intrauit. ante hunc diem nihil praeter pecora Vulscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitium arma uidisses; tum si captiuos aspiceres, Molossi Thessali Macedones Brittius Apulus adque Lucanus; si pompam, aurum purpura signa tabulae Tarentinaeque deliciae. sed nihil libentius populus Romanus aspexit quam illas, quas ita timuerat, cum turribus suis beluas, quae non sine sensu captiuitatis summissis ceruicibus uictores equos sequebantur.

XIIII. BELLVM PICENS.

Omnis mox Italia pacem habuit — quid enim post Tarentum 19
moliri auderent? — nisi quod ultro persequi socios hostium placuit. domiti ergo Picentes et caput gentis Asculum Sempronio duce, qui tremente inter proelium campo Tellurem deam promissa aede placauit.

1 gentes opulentissimas *om B* ‖ 2 in dicionem redegisse *N* ‖ 4 campaniam *N* ‖ 8 set tanta *N* ‖ 9 aut uictoriam *N* ‖ nec alius pulchrior *I* ‖ 11 cum ante I^p ‖ nihil nisi quasi pecora *N* ‖ 12 uidisset *I* ‖ 13 aspicerem olossi *N* ‖ brutius I^p, brattius I^h, bruttius *bN* ‖ 14 pompas *N* ‖ 15 nihil *om B* ‖ 16 quas timuerat *B* ‖ 19 PYCENSE *B* ‖ 20 omnis — placuit *om I* ‖ quit *N* ‖ tarentŏmo^{liri} *B* ‖ 21 moliri *om N* ‖ 22 post tarentinam cladem domiti ergo picentes *I* ‖ aculum *N* ‖

XV. BELLVM SALLENTINVM. I

20 Sallentini Picentibus additi caputque regionis Brundisium inclito portu M. Atilio duce. et in hoc certamine uictoriae pretium templum sibi pastoria Pales ultro poposcit.

XVI. BELLVM VOLSINIENSE.

21 Postremi Italicorum in fidem uenere Volsinii, opulentissimi Etruscorum, inplorantes opem aduersus seruos quondam suos, qui libertatem a dominis datam in ipsos erexerant translataque in se re publica dominabantur. sed hi quoque duce Fabio Gurgite poenas dederunt. [I]

XVII. DE SEDITIONIBVS.

22 Haec est secunda aetas populi Romani et quasi adulescentia, qua maxime uiruit et quodam flore uirtutis exarsit ac ferbuit. itaque inerat quaedam adhuc ex pastoribus feritas, quiddam adhuc spirabat indomitum. inde est, quod exercitus Postumium imperatorem, infitiantem quas promiserat praedas, facta in castris seditione lapidauit; quod sub Appio Claudio noluit uincere hostem, cum posset; quod duce Volerone detractantibus plerisque militiam, fracti consulis fasces. inde clarissimos principes, quod aduersarentur uoluntati suae, exulatione multauit, ut Coriolanum colere agros iubentem — nec minus ille ferociter iniuriam armis uindicasset, nisi quod iam inferentem signa filium mater Veturia lacrimis suis exarmauit; ut ipsum Camillum, quod inique inter plebem et exercitum diuisisse Veientem praedam uideretur. sed hic humilior Veis in capta urbe consenuit et mox supplices

2 salentini *b*I^h ‖ uero picentibus *I* ‖ caputque his regionibus *IN* ‖ inclyto I^h*N*, *om* I^p ‖ 3 portu atilio *B*, post uatilio *I* ‖ et *om B* ‖ 4 pastora I^h, pastura I^p ‖ 5 VVLSINIENSE *B* ‖ 6 in fide mansere uolsini *N* ‖ uulsinii *B* ‖ 9 se re rep. *B* ‖ 12 adolescentia *B*, aduliscentia *N* ‖ 13 exarsit hac ferbuit *B*, exarsit et ac ferbuit *N* ‖ 14 quiddam spirabat *N* ‖ 15 postumium *bN*: posthumium *B* ‖ 16 proedas *B* ‖ 18 Volerone *Cuspinianus*: uelerone *B*, ualerio nerone *N* ‖ detractibus *B* ‖ 19 inde quod clarissimos *N* ‖ princeps *b* ‖ 21 colores *b* ‖ 25 sed hic humilior *Mommsenius*: sed haec melior *B*, sed hic melior *N* ‖ Veis *Seebodius*: uis *B*, *om N* ‖

de hoste Gallo uindicauit. cum senatu quoque uehementius aequo bonoque certatum est, adeo ut relictis sedibus solitudinem et interitum patriae suae minaretur.

Prima discordia ob inpotentiam feneratorum. quibus in 23
terga quoque seruiliter saeuientibus, in sacrum montem plebs armata secessit aegreque, nec nisi tribunos impetrasset, Meneni Agrippae, facundi et sapientis uiri, auctoritate reuocata est. extat orationis antiquae satis efficax ad concordiam fabula, qua dissedisse quondam humanos dixit artus, quod omnibus opere fungentibus solus uenter inmunis ageret; deinde moribundos ea seiunctione redisse in gratiam, quando sensissent quod eius opera redactis in sanguinem cibis inrigarentur.

Secundam in urbe media decemuiratus libido conflauit. 24
allatas a Graecia leges decem principes lecti iubente populo conscripserant, ordinataque erat in duodecim tabulis tota iustitia, cum tamen traditos fasces regio quodam furore retinebant. ante ceteros Appius eo insolentiae elatus est ut ingenuam uirginem stupro destinaret, oblitus et Lucretiae et regum et iuris quod ipse conposuerat. itaque cum oppressam iudicio filiam trahi in seruitutem uideret Virginius pater, nihil cunctatus in medio foro manu sua interfecit, admotisque signis commilitonum totam eam dominationem obsessam armis in carcerem et catenas ab Auentino monte detraxit.

Tertiam seditionem excitauit matrimoniorum dignitas, 25
ut plebei cum patriciis iungerentur; qui tumultus in monte
Ianiculo duce Canuleio tribuno plebis exarsit. quartam hono- 26
rum cupido, ut plebei quoque magistratus crearentur. Fabius Ambustus duarum pater alteram Sulpicio patricii sanguinis dederat, alteram plebeius Stolo sibi iunxit. qua quodam tempore, quod lictoriae uirgae sonum ignotum penatibus suis expauerat, a sorore satis insolenter inrisa, iniuriam non tulit.

4 inpotentia *B* ‖ 5 pleps *N* ‖ 6 imp^{et}rasset *N* ‖ maeneni *N* ‖ 7 facunda *B* ‖ 8 conconcordiam *N* ‖ 9 dissedisse inter se quondam *N* ‖ 10 immunis *N* ‖ 11 a seiunctione *N* ‖ 17 appios *b* ‖ elatus — lucretiae *om in marg add B* ‖ 18 olitū *B* ‖ regum *bN*: legum *B* ‖ 19 oppraessam iuditio filiamirahi *N* ‖ 21 interficit *B* ‖ 25 plebes *N* ‖ 26 canoleio *b* ‖ plebes *N* ‖ 29 plebeio stolo quodam tempore *N* ‖ qua *add Halmius: om BN* ‖ 30 uictorie *B* ‖ somnum *N* ‖ 31 iniuriam *om B* ‖

itaque nanctus tribunatum honorum et magistratuum consortium quamuis inuito senatui extorsit.

Verum in ipsis seditionibus principem populum non inmerito suspexeris. si quidem nunc libertatem, nunc pudicitiam, tum natalium dignitatem, tum honorum decora et insignia uindicauit, interque haec omnia nullius acrior custos quam libertatis fuit, nullaque in pretium eius potuit largitione corrumpi, cum ut in magno et in dies maiore populo interim perniciosi ciues existerent. ** largitione, Cassium agraria lege suspectum regiae dominationis praesenti morte multauit. ac de Spurio quidem supplicium pater ipsius sumpsit, hunc Quinctii dictatoris imperio in medio foro magister equitum Seruilius Ahala confodit. Manlium uero Capitolii uindicem, quia plerosque debitorum liberauerat altius et inciuilius se efferentem, ab illa ipsa quam defenderat arce deiecit.

Talis domi ac foris, talis pace belloque populus Romanus fretum illud adulescentiae, id est secundam imperii aetatem habuit, in qua totam inter Alpes fretumque Italiam armis subegit.

XVIII. BELLVM PVNICVM PRIMVM.

II, 1 Domita subactaque Italia populus Romanus prope quingentensimum annum agens cum bona fide adoleuisset, si quod est robur, si qua iuuentas, tum ille uere robustus et iuuenis et par orbi terrarum esse coepit. ita — mirum et incredibile dictu — qui prope quingentis annis domi luctatus est — adeo difficile fuerat dare Italiae caput — his ducentis annis qui secuntur Africam Europam Asiam, totum denique orbem terrarum bellis uictoriisque peragrauit.

1 nactus *B*, nanctus nanctus *N* ‖ magistratum *BN* (*corr* 2 *m*) ‖ 3 in his ipsis *N* ‖ immerito *N* ‖ 4 libertatem nunc *om B* ‖ 5 tum *ante* honorum *om N* ‖ 6 nullus *B* ‖ 7 et in magno *B* ‖ 11 quinti *N* ‖ 12 seruilium *b* ‖ ahala *bN*: abala *B* ‖ capitolium *B* ‖ 13 liberaberat *N* ‖ alcius se et inciuilius efferentem *N* ‖ 14 ipsa *om N* ‖ 17 L· AN NEI FLORI EPITOMA DE TITO LIVIO EXPLIC LIB I· INCIPIT LIB II· FELICITER *N* ‖ 19 quingentissimum *N* ‖ 20 si quo *N* ‖ 21 robor *b* ‖ et *ante* iuuenis *om B* ‖ orbe *BN* ‖ 22 qui *om B* ‖ 23 domi — annis *om N* ‖ 24 sequuntur *B* ‖

Igitur uictor Italiae populus Romanus cum ad fretum usque uenisset, more ignis, qui cunctas populatus incendio siluas interueniente flumine abrumpitur, paulisper substitit. mox cum uideret opulentissimam in proximo praedam quodam modo Italiae suae abscisam et quasi reuolsam, adeo cupiditate eius exarsit ut, quatenus nec mole iungi nec pontibus posset, armis belloque iungenda et ad continentem suam reuocanda bello uideretur. sed ecce, ultro ipsis uiam pandentibus fatis nec occasio defuit, cum de Poenorum inpotentia foederata Siciliae ciuitas Messana quereretur. adfectabat autem ut Romanus ita Poenus Siciliam, et eodem tempore paribus uterque uotis ac uiribus imperium orbis agitabat. igitur specie quidem socios iuuandi, re autem sollicitante praeda, quamquam territaret nouitas rei, tamen — tanta in uirtute fiducia est — ille rudis, ille pastorius populus uereque terrester ostendit nihil interesse uirtutis, equis an nauibus, terra an mari dimicaret. II, 2

I ″Appio Claudio consule primum fretum ingressus est fabulosis infame monstris aestuque uiolentum, sed adeo non est exterritus, ut illam ipsam ruentis aestus uiolentiam pro munere amplecteretur, quod uelocitas nauium mari iuuaretur, statimque ac sine mora Hieronem Syracusanum tanta celeritate deuicit, ut ille ipse prius se uictum quam hostem uideret fateretur.

Duillio Cornelioque consulibus etiam mari congredi ausus est. tum quidem ipsa uelocitas classis conparatae uictoriae auspicium fuit. intra enim sexagesimum diem quam caesa silua fuerat centum sexaginta nauium classis in anchoris stetit, ut non arte factae, sed quodam munere deorum conuersae in naues adque mutatae arbores uiderentur. proelii uero forma mirabilis, cum illas celeris uolucresque hostium naues hae graues tardaeque conprehenderent. longe illis nauticae artes detorquere remos et ludificari

1 cum a terra fretum usquenisset *N* ‖ 2 qui obuias populatus *N* ‖ 5 reuulsam *B* ‖ 6 quatenus nec mare et nec mole *N* ‖ possit *N* ‖ 7 iungendam *N* ‖ suum *N* ‖ reuocandam *N* ‖ 8 et ecce e ultro *N* ‖ 13 sollicitante praedam *b*, sollicitandi praeda *B* ‖ 14 tanta tamen *scripsi*: tamen tanta *BN* ‖ fuducia *B* ‖ 17 fretum tum *N* ‖ 18 fame *I*, infamem *N* ‖ uiolentem *N* ‖ 19 ipsam illam *IN* ‖ 20 quod — iuuaretur *om N* ‖ 21 syracusanum regem *N* ‖ uicit *N* ‖ 22 se prius *N* ‖ 23 A duilio *B*, duellio *I* ‖ 24 cum *N* ‖ uictoriae *om N* ‖ 28 fama *N* ‖ celeres *IN* ‖ 30 artis *b* ‖

fuga rostra. iniectae enim ferreae manus machinaeque ualidae, *I* ante certamen multum ab hoste derisae, coactique hostes quasi in solido decernere. uictor ergo aput Liparas mersa aut fugata hostium classe primum illum maritimum egit triumphum. cuius quod gaudium fuit! cum Duillius imperator, non contentus unius diei triumpho, per uitam omnem, ubi a cena rediret praelucere funalia et praecinere sibi tibias iussit, quasi cotidie triumpharet. prae tanta huius uictoria leue damnum fuit alter consulum interceptus Asina Cornelius, qui simulato colloquio euocatus atque ita oppressus fuit, perfidiae Punicae documentum.

Calatino dictatore fere omnia praesidia Poenorum Agrigento Drepanis Panhormo Eryce Lilybaeoque detraxit. trepidatum est semel circa Camerinensium saltum, sed eximia uirtute Calpurni Flammae tribuni militum euasimus. qui lecta trecentorum manu insessum ab hostibus tumulum occupauit atque moratus hostes est, dum exercitus omnis euaderet. ac sic pulcherrimo exitu Thermopylarum et Leonidae famam adaequauit, hoc inlustrior noster, quod expeditioni tantae superfuit, licet nihil inscripserit sanguine.

Lucio Cornelio Scipione consule, cum iam Sicilia suburbana esset populi Romani prouincia, serpente latius bello Sardiniam adnexamque Corsicam transiit. Olbiae hic, ibi Aleriae urbis excidio incolas terruit, adeoque omni terra et mari Poenos purgauit ut iam uictoriae nihil nisi Africa ipsa restaret.

Marco Atilio Regulo duce iam in Africam nauigabat bellum. nec defuerant qui ipso Punici maris nomine ac terrore deficerent, insuper augente Nautio tribuno metum, in quem,

1 ferae *B* || ualide *BI*, aliae *N* || 3 et fugata *N* || 5 quot *B* || duellius *I* || 6 die *N* || 7 et *om N* || quottidie *B* || 8 huius *om BI* || leue huius proelii damnum *BIN* || 12 penormo *b*, panormo *IN* || erico *N* || lylibeoque *B*, lilybaeo *N* || trepidatus *B* || 13 circamerinensium *N* || 14 lecta atru manu *N* || 15 infestum et incessum *N* || adeoque *IN* || 16 est *addidi: om BIN* || hac sic *B* || 17 laedonidae *B*, laconidae *I* || 18 tantae superfuit ut superuixit et nihil *B*, tantae superuixit et nihil I^h, tantae superfuit et nihil I^p, tantae superfuit et superuixit licet nihil *N* || 19 scripserit *N* || 20 consule *addidi: om BIN* || 21 romana *N* || 22 adnexamque ei cossuram transit *N* || olbiae hic ibi alter (alte *b*) *B*, olbiam ibi ateriae I^h, olbiam ibi materie I^p, olbiae hic baleriae *N* || Aleriae *Salmasius*. || 23 omnes *N* || et *om N* || 24 repugnauit *N* || 26 deerant *N* || qui in ipso *I* || punicis *B*, punico *I* || 27 augente insuper *N* || minatio tribuno *I*, tribuno nautrio *N* ||

I nisi paruisset, securi destricta imperator metu mortis nauigandi fecit audaciam. mox deinde uentis remisque properatum est, tantusque terror hostici aduentus Poenis fuit ut apertis paene portis Carthago caperetur. prooemium belli fuit ciuitas Clipea; prima enim a Punico litore quasi arx et specula procurrit. et haec et trecenta amplius castella uastata sunt. nec cum hominibus, sed cum monstris quoque dimicatum est, cum quasi in uindictam Africae nata mirae magnitudinis serpens posita aput Bagradam castra uexauerit. set omnium uictor Regulus cum terrorem nominis sui late circumtulisset cumque magnam uim iuuentutis ducesque ipsos aut cecidisset aut haberet in uinculis, classemque ingenti praeda onustam et triumpho grauem in urbem praemisisset, iam ipsam belli caput Carthaginem urguebat obsidio ipsisque portis inhaerebat. hic paululum circumacta fortuna est, tantum ut plura essent Romanae uirtutis insignia, cuius fere magnitudo calamitatibus adprobatur. nam conuersis ad externa auxilia hostibus, cum Xanthippum illis ducem Lacedaemon misisset, a uiro militiae peritissimo uincimur foeda clade Romanisque usu incognita: uiuus in manus hostium uenit fortissimus imperator. sed ille quidem par tantae calamitati fuit; nam nec Punico carcere infractus est nec legatione suscepta. quippe diuersa quam hostis mandauerat censuit, ne pax fieret, ne commutatio captiuorum reciperetur. sed nec illo uoluntario ad hostis suos reditu nec ultimo siue carceris seu crucis supplicio deformata maiestas; immo his omnibus admirabilior quid aliud quam uictor de uictoribus atque etiam, quia Carthago non cesserat, de fortuna triumphauit? populus autem Romanus multo acrior intentiorque pro ultione Reguli quam pro uictoria fuit.

1 paruissent *B* ‖ imperator quo metu *B* ‖ nauigando *B* ‖ 2 denide *N* ‖ 4 prooemium belli *scripsi:* prima premium* belli *BI*, prima belli praemium *N* ‖ clipeam *B*, clypea *I^h* ‖ 5 arcs et *B*, arasset *N* ‖ 8 natus *I* ‖ 9 bragadam *B*, bracadam *I* ‖ uexaret *N* ‖ 10 terrorem in omnes sui *N* ‖ 11 cecidisset *edd uett:* coepisset *BI*, cepisset *N* ‖ 12 urbe *B* ‖ 13 tam *B* ‖ ipsa *B*, ipsum *I^p* ‖ caput belli *N* ‖ 14 obsidione *I* ‖ paulum *N* ‖ 17 santhippum *N* ‖ 18 uincimur tum foeda *N*, regulus uictus est foedaque *I* ‖ 19 clade *scripsi:* clades *BIN* ‖ cognita *B* ‖ nam uiuus *I* ‖ 20 calamitatis *I^hN* ‖ 22 hostes *BN* ‖ mandauerant *N* ‖ 23 nec* *B*, nec *I* ‖ commutatione *N* ‖ 24 hostes *IN* ‖ redditus *B* ‖ carcere *IN* ‖ siue supplicio *I* ‖ 26 uictus *N* ‖ 28 infestiorque *N* ‖

Metello igitur consule spirantibus altius Poenis et reuerso in Siciliam bello, aput Panhormum sic hostes cecidit ne amplius eam insulam adgredi cogitarent. argumentum ingentis uictoriae centum circiter elephantorum captiuitas, sic quoque magna praeda si gregem illum non bello, sed uenatione cepisset. *I*

Appio Claudio consule non ab hostibus, sed a dis ipsis superatus est, quorum auspicia contempserat, ab his statim classe demersa, ubi ille praecipitari pullos iusserat, quod pugnare ab his uetaretur.

Marco Fabio Buteone consule classem hostium in Africo mari aput Aegimurum insulam in Italiam ultro nauigantem cecidit. quantusque tum triumphus tempestate intercidit, cum opulenta praeda classis aduersis acta uentis naufragio suo Africam et Syrtis et omnium interiacentium insularum litora impleuit! magna clades, sed non sine aliqua principis populi dignitate, interceptam tempestate uictoriam et triumphum perisse naufragio. et tamen cum Punicae praedae omnibus promunturiis insulisque fluitarent, populus Romanus et sic triumphauit.

Lutatio Catulo consule tandem bello finis inpositus aput insulas, quibus nomen Aegatae, nec maior alias in mari pugna. aderat quippe commeatibus exercitu propugnaculis armis grauis classis et in ea quasi tota Carthago; quod ipsum exitio fuit. Romana classis prompta leuis expedita et quodam genere castrensis ad similitudinem pugnae equestris sic remis quasi habenis agebatur, et in hos uel illos ictus mobilia rostra speciem uiuentium praeferebant. itaque momento temporis laceratae hostium

1 conspirantibus artius BI || 2 panormum I || ut ne amplius insulam concitarent N || 3 ingens I || 5 magna praeda si gregem ς: magna praeda ac si gregem N, magnas praedas egit ut gregem BI || 6 appius claudius consul I || ab N || 7 contempserat ibi statim IN || 8 dimersa I || ubi iliae N || praecipitare b || pollos B || 10 marcus fabius buteo I || consule *om* BI || classem hostium in africo mari aput aegimurum iam in italiam uitro nauigantem cecidit N, classem iam in africo mari aput aegimurum hostium in italiam ultro nauigantem cecidit BI || 11 insulam *Hauptius* || 12 quantus o tum B, quantus o'tunc N || 13 opulentia N || 14 sirtis B, syrtes N || et *add Bentleius apud Marklandum ad Statii siluas pr p* XII || interiacentium *Bentleius:* imperiagentium BIN || 16 intercepta N || uictoria N || triumpho b || perisse *om* B || 18 frustarentur et fluitarent N || 20 acatae B, aecatae I^h, hecate I^p, egates N || 21 aderat *om* N || comeantibus B || grauis hostium classis N || 24 abenis b || 25 uel in illos mobilia N ||

I rates totum inter Siciliam Sardiniamque pelagus naufragio suo operuerunt. tanta denique fuit illa uictoria, ut de excindendis hostium moenibus non quaereretur. superuacuum uisum est in [*I*]arcem murosque saeuire, cum iam in mari esset deleta Carthago."

XVIIII. BELLVM LIGVRICVM.

Peracto Punico bello secuta est breuis sane quasi ad recuperan- II, 3
dum spiritum requies, argumentumque pacis et bona fide cessantium armorum tum primum post Numam clausa porta Iani fuit; deinceps statim ac sine mora patuit. quippe iam Ligures, iam Insubres Galli, nec non et Illyrii lacessebant, sitae sub Alpibus id est sub ipsis Italiae faucibus gentes, deo quodam incitante adsidue, ne robiginem ac situm scilicet arma sentirent. denique utrique cotidiani et quasi domestici hostes tirocinia militum inbuerant, nec aliter utraque gente quam quasi cote quadam populus Romanus ferrum suae uirtutis acuebat.

I "Ligures, imis Alpium iugis adhaerentis inter Varum et Magram flumen implicitosque dumis siluestribus, maior aliquanto labor erat inuenire quam uincere. tuti locis et fuga, durum adque uelox genus, ex occasione latrocinia magis quam bella faciebant. itaque cum diu multumque eluderent Saluuii Deciates Oxubii Euburiates Ingauni, tandem Fuluius latebras eorum igni saepsit, Baebius in plana deduxit, Postumius ita exarmauit ut uix reliquerit ferrum quo terra coleretur.

XX. BELLVM GALLICVM.

Gallis Insubribus et his accolis Alpium animi ferarum, cor- II, 4
pora plus quam humana erant, sed — experimento deprehensum

2 excindendis *Halmius*: excidendis *BIN* || 3 quererentur *N* || 5 ligurium *N* || 6 et quasi *N* || recipiendum *N* || 7 fides *N* || 8 tunc *N* || 9 fuit sed statim *N* || quippe etiam ligures et iam *B* || 10 illirii *B* || sic desub *N* || 11 desub *N* || 12 adsidue incitante *N* || rubiginem *B*, robigenem *N* || 13 terocinia *N* || 14 inbuebant *N* || quam quasi ς: quam si *BN* || 16 liguras *B* || adherentes *IN* || uarum magramque amnem *I* || 17 dum his *B* || 18 uti *B* || tuti si quidem locis *I* || 20 ludere *B*, eluderet *N* || salui *B*, saltuuiis *I*, saltus *N* || decilates *BI* || 19 exuuii *BI*[h], oxuuii *I*[p], oxubile *N* || et buriates *B*, buriates *I*, buriatas *N* || incognitas *N* || ignibus *N* || 22 bebius uero *I* || postumius *B* || 25 alpium incolis *I* || corpora *om B, add a 2 manu* || 26 sed experimento *bis N* ||

est, quippe sicut primus impetus eis maior quam uirorum est, *I* ita sequens minor quam feminarum — Alpina corpora umenti caelo educata habent quiddam simile niuibus suis: quam mox caluere pugna, statim in sudorem eunt et leui motu quasi sole laxantur. hi saepe et alias ** sed Brittomaro duce non prius posituros se baltea quam Capitolium ascendissent iurauerant. factum est; uictos enim Aemilius in Capitolio discinxit. mox Ariouisto duce uouere de nostrorum militum praeda Marti suo torquem. intercepit Iuppiter uotum; nam de torquibus eorum aureum tropaeum Ioui Flaminius erexit. Viridomaro rege Romana arma Volcano promiserant. aliorsum uota ceciderunt; occiso enim rege Marcellus tertia post Romulum patrem Feretrio Ioui opima suspendit.

XXI. BELLVM ILLYRICVM.

II, 5 Illyrii seu Liburni sub extremis Alpium radicibus agunt inter Arsiam Titiumque flumen, longissime per totum Hadriani maris litus effusi. hi regnante Teutana muliere populationibus non contenti licentiae scelus addiderunt. legatos quippe nostros, ob ea quae deliquerant iure agentes, ne gladio quidem, sed ut uictimas securi percutiunt, praefectos nauium igne comburunt; idque, quo indignius foret, mulier imperauit. itaque Gneo Fuluio Centimalo duce late domantur. strictae secures in principum colla legatorum manibus litauere.

1 quippe uirtus eorum sicut primo impetu maior *I* ‖ quam — minor *om B, add a* 2 *manu* ‖ 2 humente *B* ‖ 3 cum mox *I*, quae mox *N* ‖ 5 *lacunam significaui Hauptio auctore.* ‖ britomaro *N* ‖ 6 solituros *N* ‖ 7 factum autem est et uictos eos *I* ‖ aemulius *N* ‖ discinxit et quod dux eorum de romano milite praedam marti suo torquem aureum deuotasset intercepit *I* ‖ 8 ariobisto *B*, ariouito *N* ‖ 9 et de eius ipsius ariobistonis reliquorumque gallorum torquibus aureum *I* ‖ 10 flamminius *BI* ‖ rex quoque eorum uiridomarus romana — promiserat *I* ‖ 11 uulcano *B* ‖ 13 ioui arma suspendit *N* ‖ 15 illirii *B* ‖ illyres autem id est ueneti seu liburnes *I* ‖ lybirni *N* ‖ 16 titullumque *B*, titulumque *I* ‖ longissime flumen *B* ‖ adriani *BI* ‖ imperabat *IN* ‖ 22 gentimalo *BI* ‖ strictae in principum colla secures *N* ‖

I XXII. BELLVM PVNICVM SECVNDVM.

Post primum Punicum bellum uix quadriennii requies: ecce II, 6
alterum bellum, minus quidem spatio — nec enim amplius decem et octo annos habet — sed adeo cladium atrocitate terribilius ut, si quis conferat damna utriusque populi, similior uicto sit populus ille qui uicit. urebat nobilem populum mare ablatum, raptae insulae, dare tributa, quae iubere consueuerat. hinc ultionem puer Annibal ad aram patris iurauerat, nec morabatur. igitur in causam belli Saguntos electa est, uetus Hispaniae ciuitas et opulenta fideique erga Romanos magnum quidem set triste monimentum, quam in libertatem communi foedere exceptam Annibal, causas nouorum motuum quaerens, et suis et ipsorum manibus euertit ut Italiam sibi rupto foedere aperiret. summa foederum Romanis religio est; itaque ad auditum sociae ciuitatis obsidium, memores icti cum Poenis quoque foederis, non statim ad arma procurrunt, dum prius more legitimo queri malunt. interim iam nouem mensibus fessi fame machinis ferro, uersa denique in rabiem fide inmanem in foro excitant rogum, tum desuper se suosque cum omnibus opibus suis ferro et igne corrumpunt. huius tantae cladis auctor Annibal poscitur. tergiuersantibus Poenis dux legationis 'quae' inquit 'mora est?' Fabius 'in hoc ego sinu bellum pacemque porto; utrum eligitis?' succlamantibus 'bellum!' 'bellum igitur' inquit 'accipite.' et excusso in media curia togae gremio non sine horrore, quasi plane sinu bellum ferret, effudit.

Similis exitus belli initiis fuit. nam quasi has inferias sibi Saguntinorum ultimae dirae in illo publico parricidio incendioque mandassent, ita manibus eorum uastatione Italiae, captiuitate Africae, ducum et regum qui id gessere bellum exitio parentatum est. igitur ubi semel se in Hispania mouit illa grauis

2 primum autem punicum *I* ‖ quam triennii *B*, quadriennium *I* ‖ 3 amplius quam XVIIII *N* ‖ 4 terribilis I^h, terribile I^p ‖ 5 uito *N* ‖ 6 ille *om* *N* ‖ uberat *N* ‖ ablatum mare I^hN ‖ 7 in ultionem *N* ‖ 8 hannibal *N* *semper* ‖ patri *N* ‖ 9 causa I^pN ‖ delecta est us hispaniae *N* ‖ 11 monumentum *N* ‖ libertate *N* ‖ excépta *B* ‖ 12 suorum *BI* ‖ 13 uertit *B* ‖ 16 legitimmo *N* ‖ quaeri *B* ‖ 17 *puto* malunt. Saguntini interim ‖ 18 inmanem foro *I* ‖ 19 igni *IN* ‖ 21 *et* 23 inquid BI^h ‖ 21 dux legationis *aut* Fabius *delendum* ‖ 26 initio *N* ‖ 29 quid I^pN, quid id I^h ‖ cessere *B* ‖ 30 Hispaniam *BI* ‖

et luctuosa Punici belli uis adque tempestas destinatumque Romanis iam diu fulmen Saguntino igne conflauit, statim quodam impetu rapta medias perfregit Alpes et in Italiam ab illis fabulosae altitudinis niuibus uelut caelo missa descendit. *I*

Ac primi quidem impetus turbo inter Padum atque Ticinum ualido statim fragore detonuit. tum Scipione duce fusus exercitus; saucius etiam ipse uenisset in hostium manus imperator, nisi protectum patrem praetextatus admodum filius ab ipsa morte rapuisset. hic erit Scipio, qui in exitium Africae crescit, nomen ex malis eius habiturus.

Ticino Trebia succedit. hic secunda Punici belli procella desaeuit Sempronio consule. tum callidissimi hostes, frigidum et niualem nancti diem, cum se ignibus prius oleoque fouissent, — horribile dictu — homines a meridie et sole uenientes, nostra nos hieme uicerunt.

Trasimenus lacus, tertium fulmen Annibalis, imperatore Flaminio pars noua Punicae fraudis. quippe nebula lacus palustribusque uirgultis tectus equitatus terga subito pugnantium inuasit. nec de dis possumus queri. inminentem temerario duci cladem praedixerant insidentia signis examina et aquilae prodire nolentes et commissam aciem secutus ingens terrae tremor; nisi illum horrorem soli equitum uirorumque discursus et mota uehementius arma fecerunt.

Quartum id est pane ultimum uolnus imperii Cannae, ignobilis Apuliae uicus; sed magnitudine cladis emersit et sexaginta milium caede parta nobilitas. ibi in excidium infelicis exercitus dux terra caelum dies, tota rerum natura consensit. si quidem non contentus simulatis transfugis Annibal, qui mox terga pugnantium ceciderunt, insuper callidus imperator in patentibus campis, obseruato loci ingenio, quod et sol ibi acerrimus et plurimus puluis et eurus ab oriente semper quasi ex constituto,

2 saguin igne *N* ‖ 4 ultitudinis *B* ‖ 6 tunc $I^{P}N$ ‖ spicione *B* ‖ 7 sautius *B* ‖ 8 filios *b* ‖ 11 treuia *I*, trepia *N* ‖ 12 tunc $I^{P}N$ ‖ 16 thrasymenus *B*, tharsymenus I^{h}, tarsinemus I^{P}, thrasymennus *N* ‖ 17 flamminino *B*, flamminio *I* ‖ flaminion ibi quoque ars *N* ‖ 17 pars *scripsi:* ars *BIN* ‖ 18 equitum *N* ‖ 20 cladim praedixerat *b* ‖ 21 sequuturus *B* ‖ ingens *om I* ‖ 24 uulnus *B* ‖ camnae *B* ‖ 25 clades *b* ‖ quadraginta *N* ‖ 26 facta *N* ‖ exitium *N* ‖ 29 ceciderant *B* ‖ callidissimus *N* ‖ in *om b* ‖ 31 ad constitutum *IN* ‖

I ita instruxit aciem, ut, Romanis aduersus haec omnia obuersis, secundum caelum tenens uento puluere et sole pugnaret. itaque duo maximi exercitus caesi ad hostium satietatem, donec Annibal diceret militi suo 'parce ferro'. ducum fugit alter, alter occisus est; dubium, uter maiore animo. Paulum puduit, Varro non desperauit. documenta cladis cruentus aliquandiu Aufidus, pons de cadaueribus iussu ducis factus in torrente Vergello, modii duo anulorum Carthaginem missi dignitasque equestris taxata mensura. dubium deinde non erit quin ultimum illum diem habitura fuerit Roma quintumque intra diem epulari Annibal in Capitolio potuerit, si, quod Poenum illum dixisse Maharbalem Bomilcaris ferunt, Annibal quem ad modum sciret uincere sic uti uictoria scisset. set tum quidem illum, ut dici uolgo solet, aut fatum urbis imperaturae aut ipsius mens mala et auersi a Carthagine di in diuersum abstulerunt. cum uictoria posset uti, frui maluit, relictaque Roma Campaniam Tarentumque perrexit; ubi mox et ipse et ipsius exercitus ardor elanguit adeo ut uere dictum sit Capuam Annibali Cannas fuisse. si quidem inuictum Alpibus indomitumque armis Campani — quis crederet? — soles et tepentes fontibus Baiae subegerunt.

Permissum est interim respirare Romanis et quasi ab inferis emergere. arma non erant: detracta sunt templis. deerat iuuentus: in sacramentum liberata seruitia. egebat aerarium: opes suas senatus in medium libens protulit, nec praeter quod in bullis singulisque anulis erat quidquam sibi auri reliquerunt. eques secutus exemplum imitataeque equitem tribus. denique uix suffecere tabulae, uix scribarum manus Laeuino Marcelloque consulibus, cum priuatorum opes in publicum referrentur. quid

1 omnia aduersis quasi secundum *N* || 2 et *om* I^P *N* || soleque I^P | 4 effugit *N* || 6 gladis *N* || aliquamdiu *N* || afidus *b*, haut fidus *I* || 7 uergelli *N* || 8 equestri *N* || 10 fuerat *B* || 11 sicut poenum *I* || macharbalem I^P, adhe[a]rbalem *N* || 12 m[b]omilcal[r]is *N* || si annibal *I* || hannibal si quem *N* || 13 set *om N* || uulgo *B* || 14 imperatura *N* || 16 campania *B* || perrexit *BI*: peragrare *N* || 17 ipsius *om N* || mox et ipsius et exercitus *Dukerus* || uerum *N* || 18 cannos *B*, cannam *N* || 19 que *om N* || campaniae *N* || 21 permissum est *om N* || respiraret *b* || romanus *N* || 22 deerant *b* || 23 sacramentum militiae *N* || 24 suas libens senatus in medium protulit *N* || 25 cingulisque et anulis I^P || quisquam *N* || 26 exemimitataeque *N* || immitataeque *B* || 27 sufficere BI^h || 28 priuatae *N* || deferrentur *N* ||

autem? in eligendis magistratibus quae centuriarum sapientia, *I* cum iuniores a senioribus consilium de creandis consulibus petierunt. quippe aduersus hostem totiens uictorem, tam callidum non uirtute tantum, sed suis etiam pugnare consiliis oportebat.

Prima redeuntis et, ut ita dixerim, reuiuiscentis imperii spes Fabius fuit, qui nouam de Annibale uictoriam commentus est, non pugnare. hinc illi cognomen nouum et rei publicae salutare cunctator; hinc illud ex populo, ut imperii scutum uocaretur. itaque per Samnium totum, per Falernos Gauranosque saltus sic macerauit Annibalem ut quia frangi uirtute non poterat mora comminueretur. inde Claudio Marcello duce etiam congredi ausus comminus uenit et perpulit in Campaniam suam et ab obsidione Nolae urbis exclusit. ausus et Sempronio Graccho duce per Lucaniam sequi et premere terga cedentis, quamuis tum populus Romanus seruili pugnaret exercitu; nam hucusque tot mala conpulerant. sed libertate donati fecerunt de seruis se uirtute Romanos. o horribilem in tot aduersis fiduciam! o singularem animum ac spiritum populi Romani! tam artis adflictisque rebus ut de Italia sua dubitare debuisset ausus tamen est in diuersa respicere, cumque hostis in iugulo per Campaniam Apuliamque uolitaret mediamque de Italia Africam faceret, eodem tempore et hunc sustinebat et in Siciliam Sardiniam Hispaniam diuisa per terrarum orbem arma mittebat.

Sicilia mandata Marcello. nec diu restitit. tota enim insula in una urbe superata est. grande illud et ante id tempus inuictum caput, Syracusae, quamuis Archimedis ingenio defenderentur, aliquando cesserunt. longe illi triplex murus totidemque arces, portus ille marmoreus et fons celebratus Arethusae; nisi quod hactenus profuere ut pulchritudini uictae urbis parceretur.

2 petiuerunt *N* || 5 ut sic dixerim *N* || reuiuescentis *B* || 6 fauius *N* || 8 illut *N* || 9 totum per falernos *om B* || 10 qui *N* || 12 ausus est *BIN* || pepulit *I*ᵖ*N* || campania sua *BN* || 13 excussit *N* || 15 tunc *N* || populus Romanus *scripsi:* pudor *B*, opudor *IN* || manus seruili pugnaret nam *N* || exercitum *B* || lucusque *B* || 16 conpulerunt *I* || fecerunt de seruis se uirtute Romanos *Hauptius Salmasium secutus:* fecerunt de seruitute romanos *B*, fecerant de seruitute romanos *N*, de seruitute romanos fecerunt *I* || 17 in singularem *B* || 19 cum de *N* || sua decedere debuisset *B*, sua dubitaret *N* || 20 hostes in iugulo *N*, hosti*singulo *B* || 21 uolitarent *N* || facerent *N* || 22 hispiam *b*, hispiniam *B* || 25 inuictus *B* || 26 quasuis *B* || 29 actenus *bN* ||

I Sardiniam Gracchus arripuit. sed nihil illi gentium feritas, insanorumque — nam sic uocantur — inmanitas montium profuere. saeuitum in urbes urbemque urbium Caralim, ut gens contumax uilisque mortis saltem desiderio patrii soli domaretur.

In Hispaniam missi Gneus et Publius Scipiones paene totam Poenis eripuerant, sed insidiis Punicae fraudis oppressi rursum amiserant, magnis quidem illi proeliis cum Punicas opes cecidissent. set Punicae insidiae alterum ferro castra metantem, alterum, cum uim euasisset in turrem, cinctum facibus oppresserant. igitur in ultionem patris ac patrui missus cum exercitu Scipio, cui iam grande de Africa nomen fata decreuerant, bellatricem illam, uiris armisque nobilem Hispaniam, illam seminarium hostilis exercitus, illam Annibalis eruditricem — incredibile dictu — totam a Pyrenaeis montibus in Herculis columnas et Oceanum recuperauit, nescias citius an felicius. quam uelociter, quattuor anni fatentur; quam facile, uel una ciuitas probat. eodem quippe quo obsessa est die capta est, omenque Africanae uictoriae fuit, quod tam facile uicta est Hispaniae Carthago. certum est tamen ad profligandam prouinciam maxime profecisse singularem ducis sanctitatem. quippe qui captiuos pueros puellasque praecipuae pulchritudinis barbaris restitueret, ne in conspectum quidem suum passus adduci, ne quid de uirginitatis integritate delibasse saltem oculis uideretur.

Haec in diuersa terrarum populus Romanus, nec ideo tamen uisceribus Italiae inhaerentem summouere poterat Annibalem. pleraque ad hostem defecerant, et dux acerrimus contra Romanos Italicis quoque uiribus utebatur. iam tamen eum plerisque oppidis et regionibus excusseramus, iam Tarentus ad nos redie-

1 sed *om* *IN* ‖ illic *N* ‖ 4 morti *N* ‖ dominaretur *B* ‖ 5 uero missi *I* ‖ misi *B* ‖ poene *B* ‖ 6 eripuerunt *BI* ‖ insidiae *B* ‖ fradis *B* ‖ 7 ammiserant *B* ‖ illis *B* ‖ 9 uim *om* *IN* ‖ oppresserunt *IN* ‖ 10 patrum *B* ‖ 11 tam *N'* ‖ nomen de africa *I* ‖ 13 exercitus illam iam annibalis *I*, exercitus pusilli iam hannibalis *B* ‖ 14 dictum *N* ‖ pyrineis *B* ‖ erculis *b* ‖ 17 eodem quidem *I* ‖ opsessa *N* ‖ est eodem die *I* ‖ 18 nomenque *B* ‖ 19 hispana *N* ‖ 20 maximae *B* ‖ 22 restituerit *IN* ‖ 23 quit *B* ‖ saltem uel oculis *IN* ‖ 25 inter *N* ‖ populus romanus *om* *N* ‖ 26 italiae uisceribus *N* ‖ 29 excussere romani iam tarentum retulerant *I* ‖ idem tarentinus *N* ‖ tarentum *B* ‖

rat, iam et Capua, sedes et patria altera Annibalis, tenebatur, *I* cuius amissio tantum Poeno duci dolorem dedit, ut inde totis uiribus Romam conuerteretur. o populum dignum orbis imperio, dignumque omnium fauore et admiratione hominum ac deorum! conpulsus ad ultimos metus ab incepto non destitit, et de sua urbe sollicitus Capuam tamen non omisit; sed parte exercitus sub Appio consule relicta, parte Flaccum in urbem secuta, absens simul praesensque pugnabat. quid ergo miramur mouenti castra a tertio lapide Annibali iterum ipsos deos restitisse? deos inquam, nec fateri pudebit. tanta enim ad singulos illius motus uis imbrium effusa est, tanta uentorum uiolentia coorta est, ut diuinitus hostem summouere non a caelo, sed ab urbis ipsius moenibus et Capitolio uideretur. fugit et cessit et in ultimum se Italiae recepit sinum, cum urbem tantum non adoratam reliquisset.\\ parua res dictu sed ad magnanimitatem *[I]* populi Romani probandam satis efficax, quod illis ipsis quibus obsidebatur diebus ager, quem Annibal castris insederat, uenalis Romae fuit hastaeque subiectus inuenit emptorem. uoluit Annibal contra imitari fiduciam subiecitque argentarias urbis tabernas; nec sector inuentus est, ut scias etiam praesagia fatis adfuisse.

Nihil actum erat tanta uirtute, tanto fauore etiam deorum, "si quidem ab Hispania Hasdrubal frater Annibalis cum exercitu *I* nouo, nouis uiribus, noua belli mole ueniebat. actum erat procul dubio, si uir ille se cum fratre iunxisset. set hunc quoque tantum quod ab Alpe descenderat aput Metaurum castra metantem Claudius Nero cum Liuio Salinatore debellat. Nero in ultimo Italiae angulo summouebat Annibalem, Liuius in diuersissimam partem, id est in ipsas nascentis Italiae fauces signa

1 sedes domus et *BI*, sedes et domus et *N* ‖ 2 ammissio *B* ‖ ut ille totis *N* ‖ 4 que *om N* ‖ 5 ultum hos metus *N* ‖ 7 urbe *B* ‖ 9 restitisse *post* pudebit *N* ‖ 10 deos — inquam *om I* ‖ 12 cohorta *B* ‖ summouere *Tollius:* summoueri *BIN* ‖ nec caelos *N* ‖ 13 capitolio ferri uideretur *N* ‖ itaque fugit *IN* ‖ 14 recoepit *B* ‖ urbem tantam non adoratam *I*, urbem totam non inadoratam *B* ‖ 16 quid *B* ‖ 17 insiderat *N* ‖ 19 immitari *B* ‖ fiduciam imitari *N* ‖ subiectique *B* ‖ 21 fuisse *N* ‖ 23 ispania *B* ‖ exercito *b* ‖ 26 tantum — Metaurum *om N* ‖ apudque *I* ‖ 28 angulo italiae *N* ‖ summouerat *BI* ‖

I conuerterat. tanto, id est omni qua longissima Italia solo interiacente, quo consilio, qua celeritate consules castra coniuncxerint, inopinatumque hostem conlatis signis oppresserint, neque id fieri Annibal senserit, difficile dictu est. certe Annibal re cognita cum proiectum fratris caput ad sua castra uidisset, 'agnosco' inquit 'infelicitatem Carthaginis.' haec fuit illius uiri non sine praesagio quodam fati inminentis prima confessio; iam certum erat Annibalem etiam ipsius confessione posse uinci.

Sed tot rerum prosperarum fiducia plenus populus Romanus magni aestimabat, asperrimum hostem in sua Africa debellare. duce igitur Scipione in ipsam Africam tota mole conuersus imitari coepit Annibalem et Italiae suae clades in Africa uindicare. quas ille, dii boni, Hasdrubalis copias fudit, quos Syphacis Numidici regis equitatus! quae quantaque utriusque castra facibus inlatis una nocte deleuit! denique iam non a tertio lapide, sed ipsas Carthaginis portas obsidione quatiebat. sic factum ut inhaerentem atque incubantem Italiae extorqueret Annibalem. non fuit maior sub imperio Romano dies quam ille, cum duo omnium et antea et postea ducum maxime duces, ille Italiae, hic Hispaniae uictor, collatis comminus signis direxere aciem. sed et conloquium fuit inter ipsos de legibus pacis et steterunt diu mutua admiratione defixi. ubi de pace non conuenit, signa cecinere. constat utriusque confessione nec melius instrui aciem nec acrius potuisse pugnari; hoc Scipio de Annibalis, Annibal de Scipionis excercitu praedicauerunt. sed tamen Annibal cessit, praemiumque uictoriae Africa fuit et secutus [*I*]Africam statim terrarum orbis.

XXIII. BELLVM MACEDONICVM PRIMVM.

Post Carthaginem uinci neminem puduit. statim Africam secu- II, 7
cutae sunt gentes, Macedonia Graecia Syria ceteraque omnia

1 longissimum fuit italiae *B* ‖ 3 inopinanterque *N* ‖ conpresserint *N* ‖ 10 hasperrimum *B* ‖ 11 africam *N* ‖ 13 fudit *om N* ‖ syphacis exercitus fudit *N* ‖ 14 utriusque classis castra *BI* ‖ 19 ante *IN* ‖ maximi *I* ‖ 21 pacis steterunt *IN* ‖ 22 ubi uero de *I* ‖ 24 potuisset *N* ‖ 25 de scipionis — annibal *om B* ‖ 28 PRIMVM *om N* ‖ 29 secutae sunt statim africam gentes *N* ‖

quodam quasi aestu et torrente fortunae, sed primi omnium Macedones, adfectator quondam imperii populus. itaque quamuis tum Philippus regno praesideret, Romani tamen dimicare sibi cum rege Alexandro uidebantur. Macedonicum bellum nomine amplius quam spectatione gentis fuit. causa coepit a foedere Philippi, quo rex iam pridem dominantem in Italia Annibalem sibi socium iunxerat, postea creuit inplorantibus Athenis auxilium contra regis iniurias, cum ille ultra ius uictoriae in templa et aras et sepulcra ipsa saeuiret. placuit senatui opem tantis ferre supplicibus. quippe iam gentium reges duces populi nationes praesidia sibi ab hac urbe repetebant. "primum igitur Lae- I
uino consule populus Romanus Ionium mare ingressus, tota Graeciae litora ueluti triumphanti classe peragrauit. spolia quippe Siciliae Sardiniae Hispaniae Africae praeferebat, et manifestam uictoriam nata in praetoria puppi laurus pollicebatur. aderat sponte in auxilium Attalus rex Pergamenorum, aderant Rhodii, nauticus populus, qui nauibus a mari, consul a terris omnia equis uirisque quatiebat. bis uictus, bis fugatus rex, bis exutus castris, cum tamen nihil terribilius Macedonibus fuit ipso uolnerum aspectu, quae non spiculis nec sagittis nec ullo Graeculo ferro, sed ingentibus pilis nec minoribus adacta gladiis ultra mortem patebant. enimuero Flaminino duce inuios antea Chaonum montes Aoumque amnem per abrupta uadentem et ipsa Macedoniae claustra penetrauimus. introisse uictoria fuit. nam postea numquam ausus congredi rex ad tumulos, quos Cynocephalas uocant, uno ac ne hoc quidem iusto proelio opprimitur." et illi [I]
quidem consul pacem dedit regnumque concessit, mox, ne quid esset hostile, Thebas et Euboeam et grassantem sub Nabide tyranno suo Lacedaemona conpescuit. Graeciae uero ueterem sta-

1 quasi asiae aestu *B* ‖ sic primi *N* ‖ 3 tunc *N* ‖ 6 quod *B* ‖ 7 sotium iunxerat *B*, sociauerat *N* ‖ 8 templa aras *N* ‖ 9 sepulchra *N* ‖ 10 tam *N* ‖ 11 petebant *N* ‖ primo *N* ‖ 13 grecia *B* ‖ 14 hispaniae *om I* ‖ praeferebant *BI*[p], praferebat *N* ‖ 15 quam nata *I* ‖ im *B* ‖ puppe *N* ‖ 17 qui nauibus *Freinshemius:* quibus *BIN* ‖ 18 uictus rex bis exutus bis fugatus castris *N* ‖ 20 uulnerum *B* ‖ aspecto *b*, adspectu *N* ‖ flamminio *BI*, flaminio *N* ‖ 23 Aoumque *Vinetus:* sauumque *B*, saumque *I*, dumque *N* ‖ omnem *N* ‖ abruta *B*, abrutum *I*[p] ‖ et ad *I*, ad *B* ‖ 24 penetrabimus *N* ‖ 25 cynocefalas *B*, cynocephalos *I* ‖ 26 hac ne *B* ‖ 28 grassentem summauide suo *N* ‖ 29 suo et lacedaemona *B* ‖

tum reddidit, ut legibus uiueret suis et auita libertate frueretur. quae gaudia, quae uociferationes fuerunt, cum hoc forte Nemeae in theatro quinquennalibus ludis a praecone caneretur! quo certauere plausu! quid florum in consulem profuderunt! et iterum iterumque praeconem repetere uocem illam iubebant qua libertas Achaiae pronuntiabatur, nec aliter illa consulari sententia quam modulatissimo aliquo tibiarum aut fidium cantu fruebantur.

XXIIII. BELLVM SYRIACVM REGIS ANTIOCHI.

Macedoniam Asia statim et regem Philippum Antiochus excepit II, 8 quodam casu, quasi de industria sic adgubernante fortuna ut quem ad modum ab Africa in Achaiam, sic ab Achaia in Asiam ultro se suggerentibus causis imperium procederet, et cum terrarum orbis situ ipse ordo uictoriarum nauigaret. non aliud formidolosius fama bellum fuit; quippe cum Persas et orientem, Xerxen adque Darium cogitarent, quando perfossi inuii montes, quando uelis opertum mare nuntiaretur. ad hoc caelestes minae territabant, cum umore continuo Cumanus Apollo sudaret. sed hic fauentis Asiae suae numinis timor erat. nec sane uiris opibus armisque quicquam copiosius Syria; sed in manus tam ignaui regis inciderat ut nihil fuerit in Antiocho speciosius quam quod a Romanis uictus est. inpulere regem in id bellum illinc Thoas Aetoliae princeps, inhonoratam apud Romanos querens aduersus Macedonas militiae suae societatem, hinc Annibal, qui in Africa uictus, profugus et pacis inpatiens hostem populo Romano toto orbe quaerebat. et quod illud fuisset periculum, si se consiliis eius rex tradidisset, id est si Asiae uiribus usus fuisset miser Annibal? sed rex suis opibus et nomine regio fretus satis habuit bellum mouere. Europa iam dubio procul iure belli ad Romanos

3 canaretur *B* || 4 plaussu *N* || profuerunt *B* || 5 repetere illam uocem *N* || 7 fidum cantum *N* || 9 ANTIOCKI *N* || Asia *add Halmius: om BN* || 10 anthiocus *B* || 11 de *om N* || aut *N* || 12 in europam sic ab europa *N* || 14 situs *B* || aliut *N* || 15 xersen *B* || 17 ut hoc *N* || terribant *B* || 18 cummanus *B* || suaderet *N* || 19 sine *N* || 20 armis id quam *N* || manibus *N* || 21 quot *B* || 22 bellum mino theas *B* || 26 querebat *B* || 27 fuisset imperator Annibal *Hauptius* || 28 abuit *B* || 29 europiam *N* || belli *om N* ||

pertinebat. hic Lysimachiam urbem in litore Thracio positam a maioribus suis Antiochus ut hereditario iure repetebat. hoc uelut sidere Asiatici belli mota tempestas. set maximus regum, contentus fortiter indixisse bellum, cum ingenti strepitu ac tumultu mouisset ex Asia, occupatis statim insulis Graeciaeque litoribus otia et luxus quasi uictor agitabat. Euboean insulam continenti adhaerentem tenui freto reciprocantibus aquis Euripus abscindit. hic ille positis aureis sericisque tentoriis sub ipso freti murmure, cum praefluentes aquae tibiis fidibusque concinerent, conlatis undique quamuis per hiemem rosis, ne non aliquo genere ducem ageret, uirginum puerorumque dilectus habebat. talem ergo regem iam luxuria sua debellatum Acilio Glabrione consule populus Romanus in insula adgressus ipso statim aduentus sui nuntio coëgit ab insula fugere. tum praecipitem aput Thermopylas adsecutus, locum trecentorum Laconum speciosa clade memorandum, ne ibi quidem fiducia loci resistentem mari ac terra cedere coëgit. statim et e uestigio itur in Syriam. classis regia Polyxenidae Annibalique commissa — nam rex proelium nec spectare poterat, — duce Aemilio Regillo, adremigantibus Rhodiis tota laceratur. ne sibi placeant Athenae! in Antiocho uicimus Xerxen, in Aemilio Alcibiaden aequauimus, Epheso Salamina pensauimus. tum consule Scipione, cui frater, ille modo uictor Carthaginis Africanus, aderat uoluntaria legatione, debellari regem placet. et iam toto cesserat mari, sed nos imus ulterius. Maeandrum ad amnem montemque Sipylum castra ponuntur. hic rex, incredibile dictu quibus auxiliis, quibus copiis, consederat. trecenta milia peditum, equitum falcatorumque curruum non minor numerus. elephantis ad hoc inmensae magnitudinis,

3 asiastici bella *N* || set *Freinshemius:* et *BN* || 4 indixisse contentus fortiter induxisse bellum *B*, conuentus fortiter indixisse bellum *N* || cum *om B* || 6 tamquam uictor *N* || euboeam *N* || 7 tenuit *N* || abscidit *BN* || 8 siricisque *B* || 9 prefluentes aq. tibiis *B*, interfluenta tibiis *N* || contineret *N* || 10 aliquod genere ducem generet *B*, aliquo ducum genere agere uideretur *N* || 12 sua luxuria *N* || debellatum populus romanus acilio glabrione consule in *N* || 14 cum *B* || 15 trecentis *N* || sede *N* || 17 et ex *N* || clausis stregia *N* || 18 polyxenidi *N* || 19 poterat igitur duce *N* || 20 placeathenae *N* || 21 xersen *B* || alcibiadem *B* || efesiis *N* || 22 pensamus *N* || 23 uoluntaria legatione aderat *N* || 25 sipylum et spilum castra *N* || 27 falcatoremque *B* ||

auro purpura argento et suo ebore fulgentibus aciem utrimque uallauerat. sed omnia praepedita magnitudine sua, ad hoc imbre, qui subito superfusus mira felicitate Persicos arcus corruperat, primum trepidatio, mox fuga, deinde triumphus fuerunt. uicto et supplici pacem partemque regni dari placuit eo libentius, quod tam facile cessisset.

XXV. BELLVM AETOLVM.

Syriaco bello successit, et debebat, Aetolum. uicto quippe II, 9 Romanus Antiocho faces Asiatici belli persequebatur. ergo Fuluio Nobiliori mandata ultio est. hic protinus caput gentis Ambraciam, regiam Pyrrhi, machinis quatit. secuta deditio est. aderant Aetolorum precibus Attici Rhodii, et memineramus auxilii; sic placuit ignoscere. serpsit tamen latius in proximos bellum omnemque late Cephalleniam Zacynthon et quidquid insularum in eo mari inter Ceraunios montes iugumque Maleum: Aetoli belli accessio fuerunt.

XXVI. BELLVM HISTRICVM.

Histri secuntur Aetolos; quippe bellantes eos nuper adiuuerant. II, 10 et initia pugnae hosti prospera fuerunt eademque exitii causa. nam cum Gnei Manlii castra cepissent opimaeque praedae incubarent, epulantes ac ludibundos plerosque, qui aut ubi essent prae poculis nescientes, Appius Pulcher inuadit. sic cum sanguine et spiritu male partam reuomuere uictoriam. ipse rex Aepulo equo inpositus, cum subinde crapula et capitis errore lapsaret, captum sese uix et aegre, postquam expergefactus est, didicit.

1 purpora *BN* ‖ ebure *N* ‖ utrinusque *N* ‖ 2 uariauerat *B* ‖ praepidita *B*, praedita *N* ‖ 3 perruperat *B* ‖ 4 dehinc *N* ‖ 5 pacem atque partem regni *N* ‖ 7 AETOLICVM *N* ‖ 8 syriatico *N* ‖ aetolicum *BN* ‖ 9 persequabatur *B* ‖ 14 cephallaniam *B*, cefalleniam *N* ‖ 16 aetolici *N* ‖ 17 HYSTRICVM *B* ‖ 18 sequntur *B* ‖ 19 prospera hosti *N* ‖ fuerant *B* ‖ 20 manilii *B*, malii *N* ‖ optimaeque *N* ‖ incubant *B* ‖ 21 aepulantes *B* ‖ qui *om N* ‖ 22 si *B* ‖ 23 remouomuere *N* ‖ Aepulo *edd uett*: a^po^pulo *B*, apulo *N* ‖ 24 capitis et iactaret errore *N* ‖ 25 experrectus *N* ‖

XXVII. BELLVM GALLOGRAECVM.

II, 11 "Gallograeciam quoque Syriaci belli ruina conuoluit. fuerint *I* inter auxilia regis Antiochi, an fuisse cupidus triumphi Manlius Vulso simulauerit, dubium;" at certe negatus est uictori trium- [*I*] phus, quia causam belli non adprobauit. ceterum gens Gallograecorum, sicut ipsum nomen indicio est, mixta et adulterata est; reliquiae Gallorum, qui Brenno duce uastauerant Graeciam, orientem secuti, in media Asiae parte sederunt; itaque, uti frugum semina mutato solo degenerant, sic illa genuina feritas eorum Asiatica amoenitate mollita est. "duobus itaque proeliis *I* fusi fugatique sunt, quamuis sub aduentu hostis relictis sedibus in altissimos se montes recepissent. Tolostobogi Olympum, Tectosagi Magaba insederant. utrimque fundis sagittisque detracti in perpetuam se pacem dediderunt. sed alligati miraculo quidam fuere, cum catenas morsibus et ore temptassent, cum offocandas inuicem fauces praebuissent. nam Orgiacontis uxor a centurione stuprata memorabili exemplo custodiam euasit, reuolsumque adulteri hostis caput ad maritum suum reportauit." [*I*]

XXVIII. BELLVM MACEDONICVM SECVNDVM.

II, 12 Dum aliae aliaeque gentes Syriaci belli secuntur ruinam, Macedonia rursus se erexit. fortissimum populum memoria et recordatio suae nobilitatis agitabat, et successerat Philippo filius

1 GALLOGRECORVM *B* ‖ 2 Gallograeciam autem id est galatiam syriaci *I* ‖ syriatici *N* ‖ fuerant *N* ‖ 3 fuit namque *I*, fuisset *N* ‖ Manlius Vulso simulauerit *Mommsenius:* manlius uisos simulauerit *B*, manlius uisus simulauerit *I*, manlius an eos uisos simulauerit *N* ‖ 4 dubium est *I* ‖ at certe negatus *scripsi:* hac perte negatum *b*, aperte negatus *B*, certe negatus *N* ‖ uictor *B* ‖ 5 non *bis B* ‖ iterum *B* ‖ 7 *post* Gallorum *quae sequuntur usque ad p* 54, 16 euerterat *hic omittit N, et post* perirent *p* 89, 29 *ponit* ‖ quibus brenno *N* ‖ graeciam morientem *N* ‖ 8 sicuti *B* ‖ ut *N* ‖ 9 seminam *B* ‖ genuita *N* ‖ 11 auentu *B* ‖ 12 coloscobegi *B*, colosobegit *I* ‖ solostologiorum tectosagi *N* ‖ 13 magabant *B* ‖ atiam *N* ‖ acti *N* ‖ 14 quidam *Lipsius:* quodam *BIN* ‖ 15 catena *B* ‖ effocandas *B*, offucandas *I* ‖ 16 orgiacontis regis *N* ‖ 17 stuprata *scripsi:* struprum *B*, stuprum passa *N* ‖ reuolsumque militis caput *N* ‖ 18 rettullit *N* ‖ 19 MACEDONVM *N* ‖ 20 syriatici *N* ‖ belli *bis B* ‖ sequuntur *B* ‖ 21 se *om B*, se rursus *N* ‖

Perses, qui semel in perpetuum uictam esse Macedoniam non putabat ex gentis dignitate. multo uehementius sub hoc Macedones quam sub patre exurgunt. quippe Thracas in uires suas traxerant, adque ita industriam Macedonum uiribus Thracum, ferociam Thracum disciplina Macedonica temperauere. accessit his consilium ducis, qui situm regionum suarum a summo speculatus Haemo positis per abrupta castris ita Macedoniam suam armis ferroque uallauerat ut non reliquisse aditum nisi a caelo uenturis hostibus uideretur. tamen Marcio Philippo consule eam prouinciam ingressus populus Romanus, exploratis diligenter accessibus per Astudam paludem Perrhaebosque tumulos illa uolucribus quoque, ut uidebantur, inuia accessit, regemque securum et nihil tale metuentem subita belli inruptione deprehendit. cuius tanta trepidatio fuit ut pecuniam omnem in mare iusserit mergi ne periret, et classem cremari ne incenderetur. Paulo consule, cum maiora et crebriora essent inposita praesidia, per alias uias Macedonia deprensa est, summa quidem arte et industria ducis, cum alia minatus alia inrupisset. cuius aduentus ipse adeo terribilis regi fuit ut interesse non auderet, sed gerenda ducibus bella mandauerit. absens ergo uictus fugit in maria insulamque Samothracen, fretus delubri religione, quasi templa et arae possent defendere, quem nec montes sui nec arma potuissent. nemo regum diutius amissae fortunae conscientiam retinuit. supplex cum scriberet ad imperatorem ab illo quo confugerat templo nomenque epistolae notaret suum, regem addidit. sed nec reuerentior captae maiestatis alius Paulo fuit. cum in conspectum uenisset hostis, in tribunali recepit et conuiuiis adhibuit liberosque admonuit suos ut fortunam, cui tantum liceret, reuererentur. inter pulcherrimos hunc quoque populus Romanus de Macedonia duxit ac uidit triumphum; quippe cuius specta-

1 perses *om* B ‖ 2 ueementius *b* ‖ 3 consurgunt N ‖ trachas N ‖ *puto* in res ‖ 4 traxerat B ‖ industria macedonibus thracum disciplina B ‖ 5 disciplinam macedonicam N ‖ 6 hic N ‖ a *om* N ‖ 7 abruta BN ‖ 8 reliquisset B ‖ 9 uiderentur N ‖ tamen *scripsi:* nam BN ‖ 11 astundam N ‖ per acerbos dubiosque tumulos N ‖ illa quae uolucribus N ‖ 12 ut *om* N ‖ uidebatur N ‖ 13 eruptione terruit N ‖ 15 et *om* N ‖ 16 creba N ‖ 17 depressa N ‖ 18 alias eminatus alias inrepisset N ‖ 19 eo N ‖ 21 delubri *Tollius:* celebri BN ‖ 23 ammissae B ‖ 24 et imperatorem B ‖ ac illo confugerat N ‖ 26 magestatis B ‖ 27 conspectu B ‖ in templum N ‖

culo triduum impleuerit. primus dies signa tabulasque, sequens arma pecuniam transuexit, tertius captiuos ipsumque regem adtonitum adhuc tamquam subito malo et stupentem. sed multo prius gaudium uictoriae populus Romanus quam epistulis uictoris praeceperat. quippe eodem die, quo uictus est Perses in Macedonia, Romae cognitum est, cum duo iuuenes candidis equis apud Iuturnae lacum puluerem et cruorem abluebant. hi nuntiauere. Castorem et Pollucem fuisse creditum uolgo, quod gemini fuissent; interfuisse bello, quod sanguine maderent; a Macedonia uenire, quod adhuc anhelarent.

XXVIIII. BELLVM ILLYRICVM SECVNDVM.

II, 13 Macedonici belli contagio traxit Illyrios; si quidem, ut Romanum a tergo distringerent, a Perse rege conducti pecunia militauerunt. sine mora ab Anicio praetore subiguntur. Scodram caput gentis delesse suffecit; statim secuta deditio est. denique hoc bellum ante finitum est quam geri Romae nuntiaretur.

XXX. BELLVM MACEDONICVM TERTIVM.

II, 14 Quodam fato, quasi ita conuenisset inter Poenos et Macedonas ut tertio quoque uincerentur, eodem tempore utrique arma mouerunt. sed prior iugum excutit Macedo, aliquanto quam ante grauior, dum contemnitur. causa belli prope erubescenda. quippe regnum pariter et bellum uir ultimae sortis Andriscus inuaserat, dubium liber an seruus, mercennarius certe; sed quia uulgo ex similitudine Philippi Persae filii Pseudophilippus uocabatur, regiam formam, regium nomen, animum quoque regis impleuit. igitur dum haec ipsa contemnit populus Romanus, Iuuentio praetore contentus, uirum non Macedonicis modo sed

2 pecunias *N* || 3 et *om N* || 5 quod *b* || 7 iuturnae *N* || 8 uulgo *B* || 9 madherent *N* || 11 ILLIRICVM *N* || SECVNDVM *om N* || 12 macedoni *N* || illyros *N* || si quidem *scripsi:* ipsi quidem *BN* || 13 a *om B* || destringerent *B* || 14 scori•dam *B*, scordam *N* || 17 TERTIVM *om N* || 20 arte *N* || 24 uulgo philippus persae filius uocabatur *B*, uulgo philippus ex similitudine philippi pseudofilippus uocabatur *N* || 25 animo quoque regio *N* || 27 contemptus *N* ||

Thraciae quoque auxiliis ingentibus ualidum temere temptauit inualidus atque non a ueris regibus, sed ab illo imaginario et scaenico rege superatus est. sed consule Metello amissum cum legione praetorem plenissime ultus est. nam et Macedoniam seruitute multauit et ducem belli deditum ab eo ad quem confugerat Thraciae regulo in urbem in catenis reduxit, hoc quoque illi in malis suis indulgente fortuna ut de eo populus Romanus quasi de rege uero triumpharet.

XXXI. BELLVM PVNICVM TERTIVM.

II, 15 Tertium Punicum bellum et tempore exiguum (nam quadriennio raptum est) et in comparationem priorum minimum labore (non enim tam cum uiris quam cum ipsa urbe pugnatum est) et plane maximum euentu: quippe tandem Carthago finita est. adquin si quis trium temporum momenta consideret, primo commissum est Punicum bellum, profligatum secundo, tertio uero confectum est. sed huius causa belli, quod contra foederis legem aduersus Numidas quidem, sed parassent classem et exercitum. frequens autem Massinissa finis territabat; sed huic ut bono socioque regi fauebatur. cum de bello sederet, de belli fine tractatum est. Cato inexpiabili odio delendam esse Carthaginem et cum de alio consuleretur pronuntiabat, Scipio Nasica seruandam, ne metu ablato aemulae luxuriari felicitas urbis inciperet; medium senatus elegit, ut urbs tantum loco moueretur. nihil enim speciosius uidebatur quam esse Carthaginem, quae non timeretur. igitur Manilio Censorinoque consulibus populus Romanus adgressus Carthaginem spe pacis iniecta traditam a uolentibus classem sub ipso ore urbis incendit. tum euocatis principibus, si salui esse uellent ut migrarent finibus, imperauit.

1 thraeciae *b* || 2 inualidus, atque *scripsi:* inualidusque *B*, inuictusque *N* || a *om B* || 3 superatus sed *N* || consul metellus *B* || 5 ad *b*, at *B* || 6 trhacie *B* || 7 ut deo *N* || 10 tertium cum africa bellum *N* || 11 patratum *N* || comparatione *N* || 13 sed plane maximo *N* || euentum *B* || 14 atque *N* || 15 punicum *om N* || 16 est *om N* || 17 se parasset *N* || parasset *b* || 18 Massinissa *scripsi:* massinissae *BN* || 18 fines *N* || ut *om N* || 19 cum bello *N* || sine tractum *N* || 20 hodio *B* || 21 nasic *N* || 22 aemulae urbis *BN*, urbis *del Freinshemius* || 23 elegit urbis *b* || 26 intecta *N* || 28 imperatum *N* ||

quod pro rei atrocitate adeo mouit iras ut extrema mallent. comploratum igitur publice statim et pari uoce clamatum est 'ad arma!' seditque sententia, quoquo modo rebellandum; non quia iam spes ulla superesset, sed quia patriam suam mallent hostium quam suis manibus euerti. qui rebellantium fuerit furor uel hinc intellegi potest quod in usum nouae classis tecta domuum resciderunt; in armorum officinis aurum et argentum pro aere ferroque conflatum est, in tormentorum uincula crinis suos matronae contulerunt. Mancino deinde consule terra marique feruebat obsidio. operti portus, nudatus est primus et sequens, iam et tertius murus, cum tamen Byrsa, quod nomen arci fuit, quasi altera ciuitas resistebat. quamuis profligato urbis excidio tamen fatale Africae nomen Scipionum uidebatur. igitur in alium Scipionem conuersa res publica finem belli reposcebat. hunc Paulo Macedonico procreatum Africani illius magni filius decus gentis adsumpserat, hoc scilicet fato ut quam urbem concusserat auus nepos eius euerteret. sed quem ad modum maxime mortiferi morsus solent esse morientium bestiarum, sic plus negotii fuit cum semiruta Carthagine quam cum integra. conpulsis in unam arcem hostibus portum quoque mari Romanus obstruxerat. illi alterum sibi portum ab alia urbis parte foderunt, nec ut fugerent; sed qua nemo illos nec euadere posse credebat, inde quasi nata subito classis erupit, cum interim iam diebus, iam noctibus noua aliqua moles, noua machina, noua perditorum hominum manus quasi ex obruto incendio subita de cineribus flamma prodibat. deploratis nouissime rebus triginta sex milia uirorum se dediderunt — quod minus credas, duce Hasdrubale. quanto fortius femina et uxor ducis! quae conprehensis duobus liberis a culmine se domus in medium misit incendium, imitata reginam quae Carthaginem condidit. quanta urbs deleta sit, ut

1 pro re *N* ‖ 6 poteest *B* ‖ domusque *N*. ‖ 7 reciderunt *B* ‖ officinas aurum argento *B* ‖ 8 crines *B* ‖ 9 matronae crinis suos *N* ‖ 10 ferueraț *N* ‖ operis portus *N* ‖ nudatus et primus *N* ‖ 15 macedonicum *B* ‖ 16 in decus *N* ‖ adsumpserant *B* ‖ facto *b* ‖ 17 sed quam maxime *N* ‖ 18 esse morsus solent *N* ‖ 19 semirupta *B* ‖ cum *om N* ‖ 20 mars romanus *N* ‖ 21 obsederat *N* ‖ illi autem *B* ‖ ibi *N* ‖ 22 euaderet *B* ‖ 23 nota *B*, enata *N* ‖ 24 moles machina *B* ‖ 26 quadraginta se milia uirorum dediderunt *N* ‖ 27 quo *B* ‖ 28 feminae *B* ‖ conprensis *B* ‖ 29 immitata *B* ‖

de ceteris taceam, de ignis mora probari potest. quippe per continuos decem et septem dies uix potuit incendium extingui quod domibus ac templis suis sponte hostes inmiserant; ut, quatenus urbs eripi Romanis non poterat, triumphus arderet.

XXXII. BELLVM ACHAICVM.

Quasi saeculum illud euersionibus urbium curreret, Cartha- II, 16
ginis ruinam statim Corinthos excepit, Achaiae caput, Graeciae decus, inter duo maria, Ionium et Aegaeum, quasi spectaculo exposita. haec — facinus indignum — ante oppressa est quam in numero certorum hostium referretur. Critolaus causa belli, qui libertate a Romanis data aduersus ipsos usus est legatosque Romanos, dubium an et manu, certe oratione uiolauit. igitur Metello ordinanti cum maxime Macedoniam mandata est ultio; et hinc Achaicum bellum. ac primum Critolai manum Metellus consul per patentis Elidis campos toto cecidit Alphio. et uno proelio peractum erat bellum, iam enim urbem ipsam terrebat obsidio; sed — fata rerum — cum Metellus dimicasset, ad uictoriam Mummius uenit. hic alterius ducis Diaei exercitum sub ipsis Isthmi faucibus fudit geminosque portus sanguine infecit. tum ab incolis deserta ciuitas direpta primum, deinde tuba praecinente deleta est. quid signorum, quid uestium, quidue tabularum raptum incensumque adque proiectum est! quantas opes et abstulerit et cremauerit hinc scias quod quidquid Corinthii aeris toto orbe laudatur incendio superfuisse comperimus. nam et aeris notam pretiosiorem ipsa opulentissimae urbis fecit ruina; quia incendio permixtis plurimis statuis atque simulacris aeris auri argentique uenae in commune fluxerunt.

1 uel ignium mora *N* ‖ pote est *B* ‖ 3 ponte *N* ‖ 5 BELLVM ACKAICVM *N* ‖ 6 ita carthaginis *N* ‖ 7 corinthus excipit *B* ‖ 10 numerum *N* ‖ 11 a *om B* ‖ data *om N* ‖ 12 man et *B* ‖ 13 ordinato *N* ‖ maximae *B* ‖ macedoniam ς*:* macedoniae *BN* ‖ ultio *om B* ‖ 14 primam *N* ‖ metello consule *B* ‖ 15 alfeo *N* ‖ 16 iam et urbem *N* ‖ 18 inuenit *B* ‖ Diaei *Pighius:* dinei *B*, dignitate *N* ‖ 20 derepta *B* ‖ 21 tuba ς*:* turba *BN* ‖ praecingente *B* ‖ 22 quidne *B* ‖ incensum atque *N* ‖ 24 corinthi *B* ‖ 25 tontam *N* ‖ 26 ruina *Hauptius:* syiniuria *B*, iniuria *N* ‖

XXXIII. BELLVM NVMANTINVM.

II, 17 Vt Carthaginem Corinthos, ita Corinthum Numantia secuta est; nec deinde orbe toto quicquam intactum armis fuit. post illa duo clarissima urbium incendia late atque passim, nec per uices, sed simul pariter quasi unum undique bellum fuit; prorsus ut fauillae quasi agitantibus uentis diffudisse quaedam belli incendia orbe toto uiderentur.

Hispaniae numquam animus fuit aduersum nos uniuersae consurgere, numquam conferre uires suas libuit, neque aut imperium experiri aut libertatem tueri suam publice. alioquin ita undique mari Pyrenaeoque uallata est ut ingenio situs ne adiri quidem potuerit. sed ante a Romanis obsessa est quam se ipsa cognosceret, et sola omnium prouinciarum uires suas postquam uicta est intellexit. in hac prope ducentos per annos dimicatum est a primis Scipionibus in primum Caesarem Augustum, non continuo nec cohaerenter, sed prout causae lacessierant, nec cum Hispanis initio, sed cum Poenis in Hispania. inde contagium serpens causaeque bellorum.

Prima per Pyrenaeum iugum signa Romana Publius et Gneus Scipiones intulerunt proeliisque ingentibus Annonem et Hasdrubalem fratres Annibalis ceciderunt; raptaque erat impetu Hispania, nisi fortissimi uiri in ipsa uictoria sua oppressi Punica fraude cecidissent, terra marique uictores. igitur quasi nouam integramque prouinciam ultor patris et patrui Scipio ille mox Africanus inuasit, isque statim capta Carthagine et aliis urbibus, non contentus Poenos expulisse, stipendiariam nobis prouinciam fecit, omnes citra ultraque Hiberum subiecit imperio, primusque Romanorum ducum uictor ad Gades et Oceani ora peruenit. plus est prouinciam retinere quam facere. itaque per

1 RES IN HYSPANIA GESTAE *B*, RES IN KISPANIA GESTAE *N* ‖ 2 corinthus *B* ‖ 4 clarissimarum *Freinshemius* ‖ 6 fauillae *scripsi:* ille *BN* ‖ diffudisset *b* ‖ 7 uideretur *N* ‖ 8 hisspaniae *B* ‖ 9 imperium riri *N* ‖ 11 nec *N* ‖ 12 antea *N* ‖ 16 continue *N* ‖ 17 hisspania *B* ‖ contagium serpens *Mommsenius:* contagium ad series *B*, contagio et series *N* ‖ 18 causaque *N* ‖ 20 hannonem *N* ‖ 21 fratrem *N* ‖ annibali *B* ‖ 22 hispaniam si *B* ‖ sua uictoria *N* ‖ 25 hisque *B* ‖ captaa *B* ‖ 26 poenis expulisset *B* ‖ 27 omnem *N* ‖ liberum *b* ‖

partes iam huc, iam illuc missi duces, qui ferocissimas et in id tempus liberas gentes ideoque inpatientes iugi multo labore nec incruentis certaminibus seruire docuerunt. Cato ille Censorius Celtiberos, id est robur Hispaniae, aliquot proeliis fregit. Gracchus, pater ille Gracchorum, eosdem centum et quinquaginta urbium euersione multauit. Metellus ille, qui ex Macedonia cognomen meruerat, et Celtibericus fieri meruit, cum et Contrebiam memorabili cepisset exemplo et Nertobrigae maiore gloria pepercisset. Lucullus Turdulos atque Vaccaeos, de quibus Scipio ille posterior singulari certamine, cum rex fuisset prouocator, opima retulerat. Decimus Brutus aliquanto latius Celticos Lusitanosque et omnis Callaeciae populos formidatumque militibus flumen Obliuionis, peragratoque uictor Oceani litore non prius signa conuertit quam cadentem in maria solem obrutumque aquis ignem non sine quodam sacrilegii metu et orrore deprendit.

Sed tota certaminum moles cum Lusitanis fuit et Numantinis. nec inmerito. quippe solis gentium Hispaniae duces contigerunt. fuisset et cum omnibus Celtiberis, nisi dux illius motus initio belli ui oppressus esset, summae uir astutiae, si processisset, Olyndicus, qui hastam argenteam quatiens quasi caelo missam uaticinanti similis omnium in se mentes conuerterat. set cum pari temeritate sub nocte castra consulis adisset, iuxta tentorium ipsum pilo uigilis exceptus est. ceterum Lusitanos Viriatus erexit, uir calliditatis acerrimae. qui ex uenatore latro, ex latrone subito dux adque imperator et, si fortuna cessisset, Hispaniae Romulus, non contentus libertatem suorum defendere, per quattuordecim annos omnia citra ultraque Hiberum et Tagum igni ferroque populatus, castra etiam praeto-

1 et ad id temporis *N* ‖ 2 ideo *N* ‖ 3 ingruentibus *B* ‖ 4 rubor *B* ‖ aliquod *BN* ‖ graccus *B* ‖ 5 graccorum *B* ‖ 7 meruit *om N* ‖ et *om N* ‖ cantabriam *B* ‖ 8 memorabile *N* ‖ nectobricae *B*, nersobrigis *N* ‖ 9 pepercit *N* ‖ ille scipio *B* ‖ 10 prouocatos *N* ‖ 12 galleciae *N* ‖ populus *B* ‖ 13 fluminis *B* ‖ 15 igne *N* ‖ horrere *N* ‖ 16 deprehendit *N* ‖ 20 motus *N*: mortuus *B* ‖ ui *scripsi*: ut *B*, *om N* ‖ oppressus sed summus *N* ‖ astutiae *scripsi*: audaciae *B*, astutus et audacia *N* ‖ si re cessisset *N* ‖ 21 solondicus *N* ‖ astam *N* ‖ uelut caelo *N* ‖ 24 ipso *N* ‖ uigiliis *N* ‖ 27 contemptus *B* ‖ 28 quattuor *B* ‖ annis *b* ‖ utraque *b* ‖ 29 et agrum *N* ‖ praetoriorum *N* ‖

rum et praesidia adgressus, Claudium Vnimanum paene ad internecionem exercitus cecidit et insignia trabeis et fascibus nostris quae ceperat in montibus suis tropaea fixit. tandem eum iam Fabius Maximus consul oppresserat; sed a successore Popilio uiolata uictoria est. quippe qui conficiendae rei cupidus, fractum ducem et extrema deditionis agitantem per fraudem et insidias et domesticos percussores adgressus, hanc hosti gloriam dedit ut uideretur aliter uinci non posse.

II, 18 Numantia quantum Carthaginis Capuae Corinthi opibus inferior, ita uirtutis nomine et honore par omnibus, summumque, si uero aestimes, Hispaniae decus. quippe quae sine muro, sine turribus, modice edito in tumulo aput flumen sita, quattuor milibus Celtiberorum quadraginta exercitum per annos undecim sola sustinuit, nec sustinuit modo, sed saeuius aliquanto perculit pudendisque foederibus adfecit. nouissime, cum inuictam esse constaret, opus fuit eo qui Carthaginem euerterat.

Non temere, si fateri licet, ullius causa belli iniustior. Segidenses, socios et consanguineos suos, Romanorum manibus elapsos, susceperant. habita pro his deprecatio nihil ualuit. cum se ab omni bellorum contagione remouerent, in legitimi foederis pretium iussi arma deponere. hoc sic a barbaris acceptum, quasi manus absciderentur. itaque statim Megarauico fortissimo duce ad arma conuersi. Pompeium proelio adgressi, foedus tamen maluerunt, cum debellare potuissent. Hostilium deinde Mancinum hunc quoque assiduis caedibus subegerunt, ut ne oculos quidem aut uocem Numantini uiri quisquam sustineret. tamen cum hoc quoque foedus maluere, contenti armorum manubiis, cum ad internecionem saeuire potuissent. sed non minus Numantini quam Caudini illius foederis flagrans ignominia aut

1 et *om* N ‖ praesidia *Halmius:* praesidium BN ‖ unimammum B ‖ 2 internitionem B ‖ cecidit et *Freinshemius:* cecidisset *om* BN ‖ 3 fixit *Freinshemius:* fixisset BN ‖ 4 eum iam *Halmius:* etiam BN ‖ opresserat N ‖ populo B ‖ 8 potuisse N ‖ XXXIIII BELLVM NVMANTINVM B, BELLVM NVMANTINVM N ‖ 11 si uiros N ‖ 12 Durium *post* flumen *add edd vett* ‖ silata N ‖ 14 quattuordecim N ‖ 16 opus fuit quoque eo N ‖ 17 temere est fateri B ‖ egidesses *b*, egidenses B ‖ 18 sociosque et B ‖ suos *om* N ‖ 19 susciperant B, exceperant N ‖ eis N ‖ 20 legitimis B ‖ 21 receptum N ‖ 22 megara uicto N ‖ 23 proillo B ‖ 25 hunc quoque *deleuerim* ‖ ita subegerunt N ‖ 28 internitionem B ‖ 29 cautini B ‖ ac N ‖

pudore populus Romanus, dedecus quidem praesentis flagitii deditione Mancini expiauit, ceterum duce Scipione, Carthaginis incendiis ad excidium urbium inbuto, tandem etiam in ultionem excanduit. sed tum acrius in castris quam in campo, nostro cum milite quam cum Numantino proeliandum fuit. quippe assiduis et iniustis et seruilibus maxime operibus adtriti ferre plenius uallum, quia arma nescirent, luto inquinari, quia sanguine nollent, iubebantur. ad hoc scorta calones sarcinae nisi ad usum necessariae amputantur. tanti esse exercitum quanti imperatorem uere proditum est. sic redacto in disciplinam milite commissa acies, quodque nemo uisurum se umquam sperauerat factum, ut fugientes Numantinos quisquam uideret. dedere etiam se uolebant, si toleranda uiris imperarentur. sed cum Scipio ueram uellet et sine exceptione uictoriam, eo necessitatum conpulsi primum ut destinata morte in proelium ruerent, cum se prius epulis quasi inferiis impleuissent carnis semicrudae et celiae; sic uocant indigenam ex frumento potionem. intellectum ab imperatore consilium, itaque non est permissa pugna morituris. cum fossa atque lorica quattuorque castris circumdatos fames premeret, a duce orantes proelium, ut tamquam uiros occideret, ubi non impetrabant, placuit eruptio. sic conserta manu plurimi occisi, et cum urgueret fames, aliquantisper inde uixerunt. nouissime consilium fugae sedit; sed hoc quoque ruptis equorum cingulis uxores ademere, summo scelere per amorem. itaque deplorato exitu in ultimam rabiem furoremque conuersi, postremo Rhoecogene duce se suos patriam ferro ueneno, subiecto igne undique peregerunt. macte este! fortissimam et meo iudicio beatissimam in ipsis malis ciuitatem! adseruit cum fide socios, populum orbis terrarum uiribus fultum tam parua manu aetate tam longa sustinuit. nouissime maximo duce

2 magni *B* || 3 excidia *N* || 4 tunc *N* || 6 plenus *B* || 7 quia *scripsi:* qui *BN* || qui *N* || nolent *N* || 9 necessaria *N* || anputantur *N* || 10 si *B* || 12 nummantinos *B* || quisquam *deleuerim, nisi alia latent* || 13 uiri *B* || 17 celiae N: praellae *B* || 19 confossaque lorica *B* || 20 ab *N* || orante *N* || 21 conseruata *B* || 22 urgeret *B* || 23 uiserunt *B* || 24 singuli *B* || 26 postremo mori hoc genere destinarunt duces suos seque patriamque ferro et ueneno subiectoque undique igne peremerunt *N* || duces *b* || se *addidi: om B* || 27 este *Hauptius:* esse *BN* || 29 fultum sua manu *N* ||

oppressa ciuitas nullum de se gaudium hosti reliquit. unus enim uir Numantinus non fuit qui in catenis duceretur; praeda, ut de pauperibus, nulla: arma ipsi cremauerunt. triumphus fuit tantum de nomine.

II, 19 Hactenus populus Romanus pulcher egregius pius sanctus adque magnificus, reliqua saeculi, ut grandia aeque, ita uel magis turbida et foeda, crescentibus cum ipsa magnitudine imperii uitiis; adeo ut, si quis hanc tertiam eius aetatem transmarinam, quam ducentorum annorum fecimus, diuidat, centum hos priores, quibus Africam Macedoniam Syriam Hispaniam domuit, aureos, sicut poëtae canunt, iure meritoque fateatur, centum sequentes ferreos plane et cruentos, et si quid immanius. quippe qui Iugurthinis Cimbricis Mithridaticis piraticis Parthicis bellis, Gallicis atque Germanicis, quibus caelum ipsum gloria ascendit, Gracchanas Drusianasque caedes, ad hoc seruilia bella miscuerint et, ne quid turpitudini desit, gladiatoria. denique in se ipse conuersus Marianis atque Sullanis, nouissime Pompei et Caesaris manibus, quasi per rabiem et furorem — nefas — semet ipse lacerauit. quae etsi iuncta inter se sunt omnia atque confusa, tamen quo melius appareant, simul et ne scelera uirtutibus obstrepant, separatim proferentur, priusque, ut coepimus, iusta illa et pia cum exteris gentibus bella memorabimus, ut magnitudo crescentis in dies imperii appareat, tum ad illa ciuium scelera turpesque et impias pugnas reuertemur.

XXXIIII. BELLVM ASIATICVM.

II, 20 Victa ad occasum Hispania populus Romanus ad orientem pacem agebat, nec pacem modo, sed inusitata et incognita quadam felicitate relictae regiis hereditatibus opes et tota insemel regna ueniebant. Attalus rex Pergamenorum, regis Eumenis filius,

1 nullo *B* ‖ 4 tantus *B* ‖ 5 haectenus *B* ‖ pius *N*: plus *B* ‖ 6 grandiaeque *B* ‖ 10 Syriam *scripsi*: siciliam *N*, *om B* ‖ Hispaniam *om B* ‖ 12 quit *b* ‖ 13 piraticis *post* Parthicis *B*, *om N* ‖ 15 at hoc *N* ‖ 16 miscuerit *B* ‖ quit *BN* ‖ turpitudine *b* ‖ 17 sillanis *B*, syllanis *N* ‖ 18 furorem et nefas *N* ‖ 19 quae etsi ς: quasi *B*, quae si *N* ‖ interpediunt omnia *B* ‖ 21 proferentur ς: perferentur *BN* ‖ 25 XXXV *B* ‖ ASYATICVM *B* ‖ 26 hoc casum *B* ‖ hisspania *B* ‖ 28 relictas *B* ‖ ereditatibus *B* ‖ insemet *B* ‖

socii quondam commilitonisque nostri, testamentum reliquit 'populus Romanus bonorum meorum heres esto'. in bonis regiis haec fuerunt. ** adita igitur hereditate prouinciam populus Romanus non quidem bello nec armis, sed, quod aequius, testamenti iure retinebat. sed hanc difficile dictu est utrum facilius amiserit populus Romanus an recuperauerit. Aristonicus, regii sanguinis ferox iuuenis, urbis regibus parere consuetas partim facile sollicitat, paucas resistentis, Myndon Samon Colophona ui recepit, Crassi quoque praetoris cecidit exercitum ipsumque cepit. sed ille memor et familiae et Romani nominis custodem sui barbarum uirgula excaecat et in exitium sui, quod uolebat, ita concitat. mox a Perperna domitus et captus et per deditionem in uinculis habitus. Aquilius Asiatici belli reliquias confecit, mixtis — nefas — ueneno fontibus ad deditionem quarundam urbium. quae res ut maturam ita infamem fecit uictoriam, quippe cum contra fas deum moresque maiorum medicaminibus inpuris in id tempus sacrosancta Romana arma uiolasset.

XXXV. BELLVM IVGVRTHINVM.

Haec ad orientem. sed non ad meridianam plagam eadem quies. III, 1
quis speraret post Carthaginem aliquod in Africa bellum? atquin non leuiter se Numidia concussit, et fuit in Iugurtha quod post Annibalem timeretur. quippe rex callidissimus populum Romanum armis inuictum opibus adgressus est; set citra spem omnium fortuna cessit, ut rex fraude praecipuus fraude caperetur. hic, Massinissa auo, Micipsa patre per adoptionem, cum interficere fratres statuisset agitatus regni cupiditate, nec illos magis quam senatum populumque Romanum, quorum in fide et in clientela regnum erat, metueret, primum scelus mandat insidiis.

1 sociis *N* || reliquid *N* || 2 regis *N* || 3 prouincia *B* || 4 quod est aequius *N* || 7 urbes *N* || 8 myndam *B* || 9 cuassi *B* || cecidit ς: caede *BN* || coepit *B* || 11 et in *om N* || 12 perpena *N* || diditionem *B* || 14 dedit iouem *N* || 17 L· ANNEI· FLORI· EPITOMA· DE· TITO LIVIO· EXPLIC· LIB· II· JNCIP LIB· III FELI CI TER *N* || 18 XXXVI *B* || BELLVM IVGVRTHINVM *om N* || 20 quī *B* || adqui *N* || 21 numida *N* || 23 Romanum *om B* || armis inclytum *N* || set *Halmius*: et *N*, *om B* || 25 auo masinissa et micipsa *N* || masinissa *B* || 27 P. R. *N* || et clientela *N* ||

potitus Hiempsalis capite cum se in Adherbalem conuertisset isque Romam profugisset, missa per legatos pecunia traxit in sententiam suam senatum. et haec eius fuit de nobis prima uictoria. missos deinde, qui regnum inter illum Adherbalemque diuiderent, similiter adgressus, cum in Scauro ipsos Romani imperii mores expugnasset, inchoatum nefas perfecit audacia. sed non diu latent scelera. corruptae nefas legationis erupit, placuitque persequi bello parricidam. primus in Numidiam Calpurnius Bestia consul inmittitur; sed rex, expertus fortius aduersus Romanos aurum esse quam ferrum, pacem emit. cuius flagitii reus cum interueniente publica fide a senatu arcesseretur, pari audacia et uenit et conpetitorem imperii Massinissae Massiuam inmisso percussore confecit. haec altera contra regem causa belli fuit. igitur sequens ultio mandatur Albino. set huius quoque — pro dedecus — frater ita corrupit exercitum, ut uoluntaria nostrorum fuga uinceret Numida castrisque poteretur, addito etiam turpi foedere in pretium salutis, quo quos emerat dimisit exercitus. tandem in ultionem non tam imperii Romani quam pudoris Metellus adsurgit, qui callidissime hostem nunc precibus nunc minis, iam simulata iam uera fuga eludentem artibus suis adgressus est. agrorum atque uicorum populatione nec contentus in ipsa Numidiae capita impetum fecit; et Zamam quidem frustra adiuit, ceterum Thalam, grauem armis thensaurisque regis, diripuit. tunc urbibus exutum regem et iam finium suorum regnique fugitiuum per Mauros adque Gaetuliam sequebatur. postremo Marius auctis admodum copiis, cum pro obscuritate generis sui capite censos sacramento adegisset, iam fusum et saucium regem adortus, non facilius tamen uicit quam si integrum ac recentem. hic et urbem ab Hercule conditam Cap-

1 potiusque hiemsalis *N* ‖ 2 hisque *B* ‖ 3 haec fuit de nobis eius *N* ‖ 4 atherbalemque *N* ‖ 6 audacius *N* ‖ 7 diu non *N* ‖ 8 bello persequi *N* ‖ 9 uestia *B* ‖ expertus *scripsi:* peritus *BN* ‖ 11 accesseretur *N* ‖ 12 imperii asinissae masiuam *N* ‖ masinissae *om B* ‖ 13 regem fuit causa bellandi *N* ‖ 15 frater *om N* ‖ 16 poteretur *b:* potiretur *BN* ‖ 17 quo *scripsi:* quod *B*, quod primus *N* ‖ 18 exercitum eodem tempore in *N* ‖ 19 metellis *B* ‖ 20 iam quasi uera *N* ‖ 22 nec *addidi: om BN* ‖ contemptus *BN* ‖ 23 adiuit *scripsi:* diuoluit *B*, diu uoluit *N* ‖ thensaurosque *N* ‖ 24 disrupuit *N* ‖ 29 hac *B*, et *N* ‖ urbem herculi *N* ‖

sam, in media Africa siti anguibus harenisque uallatam, mira quadam felicitate superauit, et saxeo inditam monti Mulucham urbem per Ligurem aditu arduo inaccessoque penetrauit. mox non ipsum modo, sed Bocchum quoque Mauretaniae regem, iure sanguinis Numidas uindicantem, aput oppidum Cirtam grauiter cecidit. qui ubi diffisus rebus suis alienae cladis accessio fieri timet, pretium foederis adque amicitiae regem facit. sic fraudulentissimus regum fraude gener soceri sui in insidias deductus Sullae in manum traditur, tandemque opertum catenis Iugurtham in triumpho populus Romanus aspexit. sed ille quoque, quamuis uictus ac uinctus, uidit urbem, quam uenalem et quandoque perituram, si habuisset emptorem, frustra cecinerat. iam, ut uenalis fuisset, habuit emptorem; cum illum euaserat, certum erat non esse perituram.

XXXVI. BELLVM ALLOBROGVM.

Sic ad meridiem populus Romanus. multo atrocius et multipliciter magis a septentrione uenientem **. nihil hac plaga infestius. atrox caelum, perinde ingenia. omni igitur tractu uiolentus hostis, a dextris atque laeuis et a medio septentrionis erupit. III, 2

Prima trans Alpes arma nostra sensere Saluuii, cum de eis fidissima atque amicissima ciuitas Massilia quereretur; Allobroges deinde et Arueni, cum aduersus eos similes Haeduorum querellae opem et auxilium nostrum flagitarent: utriusque uictoriae testes Isara et Vindelicus amnes et inpiger fluminum Rhodanus. maximus barbaris terror elephanti fuere, inmanitati gentium pares. nihil tam conspicuum in triumpho quam rex ipse Vituitus discoloribus in armis argenteoque carpento, qualis pugnauerat. utriusque uictoriae quod quantumque gaudium

1 sitam *N* || herenisque *B* || 2 mulucam *B*, muluccham *N* || 3 inaccessuque *B* || 4 maurethaniae *B*, mauritaniae *N* || 5 numidam *N* || 6 diffusus *b* || 8 fraude gener soceri' *B*, fraude soceri *N* || deductus est et sullae *N* || 9 sillae *B* || 11 et uinctus ut uidit *N* || 13 et cum ille non euaserit certum erit *N* || 15 XXXVII *B* || ALLOBROGIVM *N* || 17 et magis *N* || *lacunam post* uenientem *uidit Mommsenius* || 18 ingenio *N* || 19 et medio *N* || 20 alpis *b* || salui *N* || de incursionibus eorum fidissima *N* || 22 aruenni *N* || eos *add* ς: *om* *BN* || haecduorum *N* || 23 quaerelae *B*, quaerellae *N* || utriusque *scripsi*: uariusque *BN* || 24 testes *scripsi*: testis *BN* || isaura *N* || 25 elephantis *B* || 27 bisuisus *N* || argentoque *B* || 28 pugna fuerit *B* ||

fuerit, uel hinc aestimari potest, quod et Domitius Ahenobarbus et Fabius Maximus ipsis quibus dimicauerant locis saxeas erexere turres et desuper exornata armis hostilibus tropaea fixerunt; cum hic mos inusitatus fuerit nostris. numquam enim populus Romanus hostibus domitis uictoriam exprobrauit.

XXXVII. BELLVM CIMBRICVM TEVTONICVM TIGVRINVM.

III, 3 Cimbri Teutoni atque Tigurini ab extremis Galliae profugi, cum terras eorum inundasset Oceanus, nouas sedes toto orbe quaerebant, exclusique et Gallia et Hispania cum in Italiam demigrarent, misere legatos in castra Silani, inde ad senatum, petentes ut Martius populus aliquid sibi terrae daret quasi stipendium, ceterum ut uellet manibus atque armis suis uteretur. sed quas daret terras populus Romanus agrariis legibus inter se dimicaturus? repulsi igitur, quod nequiuerant precibus, armis petere coeperunt. sed nec primum impetum barbarorum Silanus, nec secundum Manilius, nec tertium Caepio sustinere potuerunt; omnes fugati, exuti castris. actum erat, nisi Marius illi saeculo contigisset. ille quoque non ausus congredi statim militem tenuit in castris, donec inuicta illa rabies et impetus, quem pro uirtute barbari habent, consenesceret. recessere igitur increpantes et — tanta erat capiendae urbis fiducia — consulentes, si quid ad uxores suas mandarent. nec segnius quam minati fuerant tripertito agmine in Alpes, id est claustra Italiae, ferebantur. Marius mira statim uelocitate occupatis compendiis praeuenit hostem, prioresque Teutonos sub ipsis Alpium radicibus adsecutus in loco quem Aquas Sextias uocant quo — fidem numinum — proelio oppressit! uallem fluuiumque medium hostes tenebant, nostris aquarum nulla copia. consultone id egerit imperator, an

1 naeobarbus *N* ‖ 2 in locis *N* ‖ 4 inusitatos *b* ‖ 5 uictoriam suam exprobrauit *N* ‖ 6 XXXVIII *B* ‖ CYMBRICVM *B* ‖ 7 TYGVRINVM *B*, tiburinum *N* ‖ 9 sedex *N* ‖ 10 remigrarent *N* ‖ 11 potentes *b* ‖ 14 intra *N* ‖ 16 ceperunt *B*, constituunt *N* ‖ 18 fuga *B* ‖ 19 contiguisset *N* ‖ 24 per alpes *N* ‖ 26 teutonas *BN* ‖ adsecutos *B* ‖ 27 quo fidem *Salmasius:* pro fide *B*, quaside *N* ‖ 28 obpressit *N* ‖ 29 consulatone *N* ‖

errorem in consilium uerterit, dubium; certe necessitate acta uirtus uictoriae causa fuit. nam flagitante aquam exercitu, 'si uiri estis,' inquit 'en, illic habetis.' itaque tanto ardore pugnatum est, ea caedes hostium fuit ut uictor Romanus cruento flumine non plus aquae biberit quam sanguinis barbarorum. certe rex ipse Teutobocchus, quaternos senosque equos transilire solitus, uix unum, cum fugeret, ascendit, proximoque in saltu conprehensus insigne spectaculum triumphi fuit. quippe uir proceritatis eximiae super tropaea sua eminebat.

Sublatis funditus Teutonis in Cimbros conuertitur. hi iam — quis crederet? — per hiemem, quae altius Alpes leuat, Tridentinis iugis in Italiam prouoluti ueluti ruina descenderant. Athesim flumen non ponte nec nauibus, sed quadam stoliditate barbarica primum corporibus adgressi, postquam retinere amnem manibus et clipeis frustra temptauerant, ingesta silua obrutum transiluere: si statim infesto agmine urbem petissent, grande discrimen; sed in Venetia, quo fere tractu Italia mollissima est, ipsa soli caelique clementia robur elanguit. ad hoc panis usu carnisque coctae et dulcedine uini mitigatos Marius in tempore adgressus est. uenere illi quam et in barbaris multa uestigia diem pugnae a nostro imperatore petierunt, et sic proximum dedit. in patentissimo, quem Raudium uocant, campo concurrere. inde milia sexaginta quinque cecidere, hinc trecentis minus; per omnem diem conciditur barbarus. istic quoque imperator addiderat uirtuti dolum, secutus Annibalem artemque Cannarum; primum nebulosum nanctus diem, ut hosti inopinatus occurreret, tum uentosum quoque, ut puluis in oculos et ora ferretur, tum acie conuersa in orientem, ut, quod ex captiuis

1 errore *B* ‖ 2 causa uictoriae *N* ‖ flagitantem aquam exercitum *B* ‖ exercitus uiri *N* ‖ 3 inquit estis *N* ‖ en (t superscr.) *B* ‖ 4 est *om* *N* ‖ eaquae caedes *N* ‖ de cruento *N* ‖ 5 ebiberit *B* ‖ 6 teuto uocatus *B*, teutobocus *N* ‖ 8 conpraensus *b* ‖ 10 hic *N* ‖ 12 ueluti *addidi: om* *BN* ‖ ruinam *B* ‖ 13 Athesim *Salmasius:* adaesim *B*, adhostesin *N* ‖ 15 obrutum silua *N* ‖ 16 et si *N* ‖ 17 discrimen esset *N* ‖ a quo *B* ‖ italiae *b* ‖ 20 est — uestigia *om* *B* ‖ quam metus in barbaris nulla uestigia *Salmasius*: *fortasse* uenere ilico, nam metus in barbaris nulla uestigia ‖ 21 et hic *Perizonius* ‖ 22 inpatientissimo *N* ‖ 23 milia inde LX ceciderunt *N* ‖ trecentis *Salmasius:* tertio *BN* ‖ 24 omne *B* ‖ isti *N* ‖ 25 addiderit *B* ‖ 26 nactus *B* ‖ 27 occurret *N* ‖ puluis *om* *B* ‖ oculis *B* ‖ 28 acies *B*, aciet *N* ‖

mox cognitum est, ex splendore galearum aere repercusso quasi ardere caelum uideretur. nec minor cum uxoribus eorum pugna quam cum ipsis fuit; cum obiectis undique plaustris atque carpentis altae desuper securibus contisque pugnarent. perinde speciosa mors earum fuit quam pugna. nam cum missa ad Marium legatione libertatem ac sacerdotium non inpetrassent (nec fas erat), suffocatis elisisque passim infantibus suis aut mutuis concidere uulneribus aut uinculo e crinibus suis facto ab arboribus iugisque plaustrorum pependerunt. Boiorix rex in prima acie dimicans inpigre nec inultus occiditur.

Tertia Tigurinorum manus, quae quasi in subsidio Noricos insederat Alpium tumulos, in diuersa elapsa fuga ignobili et latrociniis euanuit. hunc tam laetum tamque felicem liberatae Italiae adsertique imperii nuntium non per homines, ut solebat, populus Romanus accepit, sed per ipsos, si credere fas est, deos. quippe eodem die quo gesta res est uisi pro aede Pollucis et Castoris iuuenes laureatas praetori litteras dare, frequensque in spectaculo rumor uictoriae Cimbricae ** quod in gladiatorio munere fieri solet 'feliciter!' dixit. quo quid admirabilius, quid insignius fieri potest? quippe uelut elata montibus suis Roma spectaculo belli interesset, uno eodemque momento, cum in acie Cimbri succumberent, populus in urbe plaudebat.

XXXVIII. BELLVM THRACIVM.

III, 4 Post Macedonas, si dis placet, Thraces rebellant, illi quondam tributarii Macedonum, nec in proximas modo prouincias contenti incurrere, Thessaliam atque Delmatiam, in Adriaticum mare usque uenerunt; eoque fine retenti, quasi interueniente natura,

1 plendore *BN* || gallearum *B* || aere repercusso *scripsi:* aere percussum *b*, aere percusso *B*, ac repercussu *N* || quam ardere *B* || 4 alte desuper quasi e turribus lanceis contisque *N* || 8 ab *om B* || 9 plaustrorumque *B* || Boiorix *Gruterus:* boleris *B*, boeleris *N* || primà *om N* || 10 occubuit *N* || 11 noricus *B* || 12 elapsa *scripsi:* elapsi *B*, lapsi *N* || e latrociniis *B* || 15 fas est si credere *B* || 16 quod *B* || uisi praede *B* || 17 castores *B* || laureati *N* || tradere *N* || 18 quod — solet *post* interesset *ponunt BN* || 20 pote est *B* || 22 cimbris *N* || 23 XXXVIIII *B* || THRATICVM *N* || 24 si[c] *B* || rebellabant *N* || ipsi *N* || 26 thesaliam *B* || dalmatiam *BN* || hadriaticum *N* || 27 sini *N* || retenti *Graeuius:* contenti *BN* ||

contorta in ipsas aquas tela miserunt. nihil interim per id omne tempus residuum crudelitatis fuit in captiuos saeuientibus: litare dis sanguine humano, bibere in ossibus capitum, cuiusquemodi ludibriis foedare mortem tam igni quam fumo, partus quoque grauidarum mulierum extorquere tormentis. saeuissimi omnium Thracum Scordisci fuere, sed calliditas quoque ad robur accesserat: siluarum et montium situs cum ingenio consentiebant. itaque non fusus modo ab his aut fugatus, sed — simile prodigio — omnino totus interceptus exercitus quem duxerat Cato. Didius uagos et libera populatione diffusos intra suam reppulit Thraciam. Drusus ulterius egit et uetuit transire Danuuium. Minucius toto uastauit Hebro, multis quidem amissis, dum perfidum glacie flumen equitatur. Volso Rhodopen Haemumque penetrauit. Curio Dacia tenus uenit, sed tenebras saltuum expauit. Appius in Sarmatas usque peruenit, Lucullus ad terminum gentium Tanain lacumque Maeotim. nec aliter cruentissimi hostium quam suis moribus domiti. quippe in captiuos igni ferroque saeuitum est; sed nihil barbaris atrocius uisum est quam quod abscisis manibus relicti uiuere superstites poenae suae iubebantur.

XXXVIIII. BELLVM MITHRIDATICVM.

Ponticae gentes a septentrione in sinistrum iacent, a Pontico III, 5
cognominatae mari. harum gentium atque regionum rex antiquissimus Aeetas, post Artabazes, a septem Persis oriundus, inde Mithridates, omnium longe maximus. quippe cum quattuor Pyrrho, tredecim anni Annibali suffecerint, ille per quadraginta annos restitit, donec tribus ingentibus bellis subactus felicitate Sullae, uirtute Luculli, magnitudine Pompei consumeretur. cau-

1 nihil interim per imperium donec tempus *B* || 2 crudelitati *B* || 4 ludibrio *N* || 8 ab is *N* || simile ς: simili *BN* || 10 suum *B* || 11 thaciam *B* || danubium glacie flumen equitatur mutius *B* || 13 per perfidum *N* || glacie flumen equitatur *om B* || uolso *B*: piso *N* || rodopen *B* || haemumque *scripsi*: causaumquae *B*, caucasumque *N* || 16 maeotin *N* || 17 captiuis *N* || 21 XL *B* || MYTRIDATICVM *B* || 22 ad septentrionem in mare sinistrum *N* || 24 aetas *BN* || 26 phirro quattuordecim *N* || Annibali suffecerint *om B* || 28 sillae *B*, syllae *N* ||

sam quidem illius belli praetenderat aput Cassium legatum, adtrectari terminos suos a Nicomede Bithyno; ceterum elatus animis ingentibus Asiae totius et, si posset, Europae cupiditate flagrabat. spem ac fiduciam dabant nostra uitia. quippe cum ciuilibus bellis distringeremur, inuitabat occasio, nudumque latus imperii ostendebant procul Marius Sulla Sertorius. inter haec rei publicae uulnera et hos tumultus repente quasi captato tempore in lassos simul atque districtos subitus turbo Pontici belli ab ultima ueluti specula septentrionis erupit.

Primus statim impetus belli Bithyniam rapuit, Asia inde pari terrore correpta est, nec cunctanter ad regem ab urbibus nostris populisque descitum est. aderat, instabat, saeuitia quasi uirtute utebatur. nam quid atrocius uno eius edicto, cum omnes qui in Asia forent Romanae ciuitatis homines interfici iussit? tum quidem domus templa et arae, humana omnia adque diuina iura uiolata sunt. sed hic terror Asiae Europam quoque regi aperiebat. itaque missis Archelao Neoptolemoque praefectis, excepta Rhodo, quae pro nobis firmius stetit, ceterae Cyclades Delos Euboea et ipsum Graeciae decus Athenae tenebantur. Italiam iam ipsamque urbem Romam regius terror adflabat. itaque L. Sulla festinat, uir armis optimus, parique uiolentia ruentem ulterius hostem eadem quasi manu reppulit. primumque Athenas urbem — quis crederet? — frugum parentem, obsidione ac fame ad humanos cibos conpulit; mox subrutus Piraei portus sex aut amplius muris cinctus. postquam domuerat ingratissimos hominum, tamen, ut ipse dixit, in honorem mortuorum sacris suis famaeque donauit. mox cum Euboea atque Boeotia praesidia regis depulisset, omnis copias uno apud Chaeroniam, apud Orchomenon altero bello dissipauit, statimque

2 bithynico *N* || 4 fraglabat *N* || 5 ciuibus *B*, ciuilibus 2 *manu* || destringeremur *b*, disiungemur *N* || imperii latus *N* || 6 procul *B*, proculus 2 *manu* || sylla *BN* || 8 lasso *B* || subditus *B* || 9 uel utili specula *B*, ueluti spectacula *N* || 10 bythiniam *B* || 13 ut omnes *N* || 14 romaniae *B* || 17 aperibat *B* || 18 ceterum *N* || 21 sylla *BN* || 22 eadem *Hauptius:* quadam *BN* || primamque *B* || subrutos *B* || 25 portu *N*, *tunc statim subiungit p* 66, 16 colchis tenus; *postea addit quae hic desunt p* 68, 5 || sex quoque et amplius muris postquam *N* || 26 ingratissimos hominum ut ipse dixit in honorem tamen mortuorum *N* || 27 domauit *N* || 28 boetia *B* || depulisset ς: dispulisset *B*, discipulisset *N* ||

in Asiam transgressus ipsum opprimit. et debellatum foret, nisi de Mithridate triumphare cito quam uere maluisset. ac tum quidem hunc Asiae statum Sulla dederat. ictum cum Ponticis foedus, recepit Bithyniam a rege Nicomedes, Ariobarzanes Cappadociam, Asia rursus nostra, ut coeperat, Mithridates tantum repulsus. itaque non fregit ea res Ponticos, sed incendit. quippe rex Asia et Europa quodam modo inescatus non iam quasi alienam, sed, quia amiserat, quasi raptam belli iure repetebat. igitur ut extincta parum fideliter incendia maiore flamma reuiuiscunt, ita ille de integro, auctis maiorem in modum copiis, tota denique regni sui mole in Asiam rursus mari terra fluminibusque ueniebat.

Cyzicus, nobilis ciuitas, arce moenibus portu turribusque marmoreis Asiaticae plagae litora inlustrat. hanc ille quasi alteram Romam toto inuaserat bello. sed fiduciam oppidanis resistendi nuntius fecit, docens aduentare Lucullum, qui — orribile dictu — per medias hostium naues utre suspensus et pedibus iter gubernans, uidentibus procul quasi marina pristis euaserat. mox clade conuersa, cum ex mora obsidii regem fames et ex fame pestilentia urgueret, recedentem Lucullus adsequitur adeoque caedit ut Granicus et Aesepus amnes cruenti redderentur. rex callidus Romanaeque auaritiae peritus spargi aurum a fugientibus et pecuniam iussit, qua sequentes moraretur. nec felicior in mari quam terra fuga. quippe centum amplius nauium classem apparatu belli grauem Pontico mari adgressa tempestas tam foeda strage lacerauit ut naualis belli instar efficeret, planeque ut Lucullus quodam cum fluctibus procellisque commercio debellandum tradidisse regem uentis uideretur. adtritae iam omnes ualidissimi regni uires erant, sed animus malis augebatur.

1 obprimit *N* || 2 mithidate *B* || 3 sylla *BN* || 4 recoepit *B* || et rege *B* || Nicomedes, Ariobarzanes *Lipsius:* nichomede ab ariobarzenae *B*, nicomede ab ariobarzane *N* || 5 ac sic erat asia rursum *N* || cęperat mithidates tantus *B* || 9 reuiuescunt *BN* || 13 cizicus *B*, cyzicum *N* || 14 littora *B* || 16 horribile *N* || 18 adgubernans *N* || istris *N* || 19 obsidentem *N* || regem ex fame pestilentia *N* || 21 cecidit *N* || granippus *B* || aesopus *BN* || 22 aurum *om N* || 23 sarcinas et pecuniam *N* || 24 in terra *N* || centum *om B* || 25 adparatumque *N* || graue *B* || pontu *B*, in pontico *N* || tempestatem fęda *B* || 26 plane quasi lucullus *N* || 29 ualidissimi *B*, ualidissimae 2 *manu* ||

itaque conuersus ad proximas gentes totum paene orientem ac septentrionem ruina sua inuoluit. Hiberi Caspii Albani et utraeque sollicitantur Armeniae, per quae omnia decus et nomen et titulos gloriae Pompeio suo Fortuna quaerebat. qui ubi nouis motibus ardere Asiam uidet aliosque ex aliis prodire reges, nihil cunctandum ratus, priusquam inter se gentium robora coirent, statim ponte nauibus facto omnium ante se primus transiit Euphraten regemque fugientem media nanctus Armenia — quanta felicitas uiri! — uno proelio confecit. nocturna ea dimicatio fuit et Luna in partibus. quippe commilitans quasi dea cum a tergo se hostibus, a facie Romanis praebuisset, Pontici per errorem longius cadentis umbras suas quasi hostium corpora petebant. et Mithridates quidem nocte illa debellatus est. nihil enim postea ualuit, quamquam omnia expertus more anguium, qui optrito capite postremum cauda minantur. quippe cum effugisset hostem Colchis tenus, iungere Bosporon, inde per Thracen Macedoniamque et Graeciam transilire, sic Italiam nec opinatus inuadere tantum cogitauit. sed defectione ciuium Pharnacisque filii scelere praeuentus male temptatum ueneno spiritum ferro expulit.

Gneus interim Magnus rebellis Asiae reliquias sequens per diuersa gentium terrarumque uolitabat. nam sub orientem secutus Armenios, captae gentis satrapen supplicem iussit regnare Tigranen. at in septentrione Scythicum iter tamquam in mari stellis secutus Colchos cecidit, ignouit Hiberiae, pepercit Albanis. regem Colchorum Orhozen, positis sub ipso Caucaso castris iussit in plana descendere, at Arthocen, qui Hiberis imperabat, obsides liberos dare; Horolen etiam munerauit ultro ab Alba-

1 poene *B* ‖ 3 armoeniae perq. *B* ‖ 4 titulus *B* ‖ gloriae *om N* ‖ nobis *B* ‖ 7 transit *N* ‖ 8 eufratem *B*, eufraten *N* ‖ 10 commilitans cum quasi dea *B*, quasi commilitans cum (*om* dea) *N* ‖ 14 ualuit *om B* ‖ obtrito *N* ‖ 15 postremo *B* 2 *manu* ‖ 16 hostem colchos siciliae quoque litora et campaniam nostram subito aduentu terrere uoluit sic felix *N cf p* 64, 25 *et* 68, 5 ‖ bosphoron *B* ‖ thraciam *N* ‖ 17 que *om N* ‖ 18 cogitauit per defectionem *N* ‖ 22 nunc sub *N* ‖ 23 armoenios *B* ‖ captis in ipso capite gentis artaxatis supplicem *N* ‖ 23 atrapens *B* ‖ 24 ad *B* ‖ septentrionem *N* ‖ scythioum *B*, scyticum *N* ‖ 26 oroden *N* ‖ causaso *N* ‖ 27 ad arthocen *B*, ad artocen *N* ‖ 28 et obsides *BN*, et *deleui* ‖ oroden *N* ‖ femuneratus est *N* ‖

nia sua lectum aureum et alia dona mittentem. nec non in meridiem uerso agmine Libanum Syriae Damascumque transgressus per nemora illa odorata, per turis et balsami siluas Romana signa circumtulit. Arabes, si quid imperaret, praesto fuere. Hierosolyma defendere temptauere Iudaei; uerum haec quoque et intrauit et uidit illud grande impiae gentis arcanum patens, sub aurea uite cillum. dissidentibusque de regno fratribus arbiter factus regnare iussit Hyrcanum; Aristobolum, quia renouabat imperium, in catenas dedit. sic Pompeio duce populus Romanus totam, qua latissima est, Asiam peruagatus, quam extremam habebat imperii prouinciam mediam fecit. exceptis quippe Parthis, qui foedus maluerunt, et Indis, qui adhuc nos nec nouerant, omnis Asia inter rubrum et Caspium et Oceanum Pompeianis domita uel oppressa signis tenebatur.

XL. BELLVM PIRATICVM.

Interim cum populus Romanus per diuersa terrarum districtus III, 6
est, Cilices inuaserant maria sublatisque commerciis, rupto foedere generis humani, sic maria bello quasi tempestate praecluserant. audaciam perditis furiosisque latronibus dabat inquieta Mithridaticis proeliis Asia, dum sub alieni belli tumultu exterique regis inuidia impune grassantur. ac primum duce Isidoro contenti proximo mari Cretam inter adque Cyrenas et Achaiam sinumque Maleum, quod ab spoliis aureum ipsi uocauere, latrocinabantur. missusque in eos Publius Seruilius quamuis leues et fugaces myoparonas graui et Martia classe turbat et non incruenta uictoria superat. sed nec mari summouisse contentus, ualidissimas urbes eorum et diutina praeda abundantes, Phaselin et Olympon euertit Isaurosque ipsam arcem Ciliciae, unde

1 lectulum aurum *N* ‖ non et in *N* ‖ 2 hacmine *B* ‖ siriae *B* ‖ 4 quit *B*, quod *N* ‖ ierosolimam *B*, hierosolymam *N* ‖ 6 archanum *B* ‖ 7 aurea uitae *B*, aureo uti *N* ‖ cillum *scripsi Le Moynium secutus:* caelum *B*, caelo *N* ‖ 8 hircanum *N* ‖ aristobolo *N* ‖ renouabat eam rem catenas *N* ‖ 10 tota *B* ‖ asia *B* ‖ 12 ad hunc nos non *N* ‖ 14 ignis *N* ‖ 15 XLI *B* ‖ 16 dum *N* ‖ destrictus *B*, distractus *N* ‖ 19 periosique *B* ‖ 20 exterritique *B* ‖ 21 inuidiam *B* ‖ crassantur *B* ‖ 22 syrenas *B* ‖ 23 malaeum *BN* ‖ a *N* ‖ 24 missumque *B* ‖ 25 turbat et *scripsi:* turbaret *BN* ‖ 27 habundantes *N* ‖ phaselim *B* ‖ 28 olympum *B* ‖ isauronque *N* ‖

conscius sibi magni laboris Isaurici cognomen adamauit. non ideo tamen tot cladibus domiti terra se continere potuerunt; sed ut quaedam animalia, quibus aquam terramque incolendi gemina natura est, sub ipso hostis recessu inpatientes soli in aquas suas resiluerunt, et aliquanto latius quam prius Siciliae quoque litora et Campaniam nostram subito aduentu terrere uoluerunt. sic Cilix dignus uictoria Pompei uisus est et Mithridaticae prouinciae factus accessio. ille dispersam toto mari pestem semel et in perpetuum uolens extinguere diuino quodam apparatu adgressus est. quippe cum classibus et suis et socialibus Rhodiorum abundaret, pluribus legatis atque praefectis utraque Ponti et Oceani ora conplexus est. Gellius Tusco mari inpositus, Plotius Siculo; Gratillus Ligusticum sinum, Pompeius Gallicum obsedit,. Torquatus Balearicum, Tiberius Nero Gaditanum fretum, qua primum maris nostri limen aperitur, Lentulus Libycum, Marcellinus Aegyptium, Pompei iuuenes Hadriaticum; Varro Terentius Aegaeum; et Ponticum et Pamphylium Metellus, Asiaticum Caepio; ipsas Propontidos fauces Porcius Cato sic obditis nauibus quasi portam obserauit. sic per omnis aequoris portus sinus latebras recessus promunturia freta paene insulas quidquid piratarum fuit quadam indagine inclusum est. ipse Pompeius in originem fontemque belli Ciliciam, nec hostes detractauere certamen. non ex fiducia, sed quia oppressi erant, ausi uidebantur; sed nihil tamen amplius, quam ut ad primum ictum concurrerent. mox ubi circumfusa undique rostra uiderunt, abiectis statim telis remisque plausu undique pari, quod supplicantium signum fuit, uitam petiuerunt. non alia tam incruenta uictoria usi umquam sumus; sed nec fideliori in posterum. idque prospectum singulari consilio ducis, qui maritimum genus a conspectu longe remouit maris et mediterraneis agris quasi obli-

5 siluerunt *B* || prius sic illos quoque ante mox subruto epirei portu *N et subiungit supra p* 64, 25 *omissa* || 6 terraere *B* || uoluit *N* || sic felix et dignus uictoria pompeius *N* || 8 factas *N* || tota *B* || imperpetuum *N* || 10 classibus suis *N* || habundaret *B* || 12 plocius *N* || 13 gratillius *N*, P. Atilius *Gronouius* || Pomponius *Dukerus* || lugusticum *B* || 15 libicum *B* || 18 portius *B* || 19 obseruabit *N* || 20 peninsulas *B* || 21 piratuum *B* || inclusum et *B*, inclusum et oppressum est *N* || 25 uiderent *B* || 26 adiectis *B* || talis *B* || 28 numquam *N* || fideliori *Mommsenius*: fidelior *BN* || posterum reperta gens ulla est id *N* ||

gauit, eodemque tempore et usum maris nauibus recuperauit et terrae homines suos reddidit. quid prius in hac mirere uictoria? uelocitatem? quadragensimo die parta est. an felicitatem? ne una quidem nauis amissa est. an uero perpetuitatem? amplius piratae non fuerunt.

XLI. BELLVM CRETICVM.

Creticum bellum, si uera uolumus, [nos fecimus] sola uincendi III, 7
nobilem insulam cupiditas fecit. fauisse Mithridati uidebatur; hoc placuit armis uindicare. primus inuasit insulam Marcus Antonius, cum ingenti quidem uictoriae spe atque fiducia, adeo ut pluris catenas in nauibus quam arma portaret. dedit itaque poenas uecordiae. nam plerasque naues intercepit hostis, captiuaque corpora religantes uelis ac funibus suspendere, ac sic uelificantes triumphantium in modum Cretes portibus suis adremigauerunt. Metellus deinde totam insulam igni ferroque populatus intra castella et urbes redegit, Cnoson Eleytheman et, ut Graeci dicere solent, urbium matrem Cydoneam; adeoque saeue in captiuos consulebatur ut ueneno se plerique conficerent, alii deditionem suam ad Pompeium absentem mitterent. et cum ille res in Asia gerens, eo quoque praefectum misisset Antonium in alienam prouinciam, inritus fuit, eoque infestior Metellus in hostes ius uictoris exercuit, uictisque Lasthene et Panare, Cydoneae ducibus, uictor rediit. nec quicquam tamen amplius de tam famosa uictoria quam cognomen Creticum reportauit.

XLII. BELLVM BALEARICVM.

Quatenus Metelli Macedonici domus bellicis agnominibus ad- III, 8
sueuerat, altero ex liberis eius Cretico facto mora non fuit, quin

2 ac *B* || 3 quod quadragensimo *N* || quadragesimo *B* || parata *B* || quod ne *N* || 4 quod amplius *BN* || 6 XLII *B* || 7 uolumus noscere nos *N* || 8 cupiditate fauisse *N* || 10 fiduciae *B* || 11 plures *B* || 12 uaecordiae *B* || intercepere hostes *N* || 13 religata *N* || pependere *N* || ac si *B* || 16 et gnosen *N* || Eleutheman *scripsi Vossium secutus:* a et erythrean *B*, et erythream *N* || 17 mater *B* || adeoqua saeuae *B* || 18 consolebatur *B*, consulabatur *N* || 20 eo quoque *deleuerim* || 21 alienam prouinciam *Mommsenius:* alim proiunciam *B*, aliena prouincia *N* || 22 cydonaeae *B*, cydonae *N* || 23 redit *N* || amplius tamen *N* || 25 XLIII *B* || 27 agnominibus *scripsi:* hac nominibus *B*, nominibus *N* ||

alter quoque Balearicus uocaretur. Baleares per id tempus insulae piratica rabie maria corruperant. homines feros atque siluestres mireris ausos a scopulis suis saltem maria prospicere. ascendere etiam inconditas rates et praeternauigantes subinde inopinato impetu terruere. set cum uenientem ab alto Romanam classem prospexissent, praedam putantes, ausi etiam occurrere, et primo impetu ingenti lapidum saxorumque nimbo classem operuerunt. tribus quisque fundis proeliantur. certos esse quis miretur ictus, cum haec sola genti arma sint, id unum ab infantia studium? cibum puer a matre non accipit, nisi quem ipsa monstrante percusserit. sed non diu lapidatione Romanos terruere. nam postquam comminus uentum est, expertique rostra et pila uenientia, pecudum in morem clamore sublato petiuerunt fuga litora, dilapsique in proximos tumulos quaerendi fuerunt ut uincerentur.

XLIII. EXPEDITIO IN CYPRON.

III, 9 Aderat fatum insularum. igitur et Cypros recepta sine bello. insulam ueteribus diuitiis abundantem et ob hoc Veneri sacram Ptolemaeus regebat. sed diuitiarum tanta erat fama, nec falso, ut uictor gentium populus et donare regna consuetus P. Clodio tribuno plebis duce socii uiuique regis confiscationem mandauerit. et ille quidem ad rei famam ueneno fata praecepit. ceterum Porcius Cato Cyprias opes liburnis per Tiberinum hostium inuexit. quae res latius aerarium populi Romani quam ullus triumphus impleuit.

XLIIII. BELLVM GALLICVM.

III, 10 Asia Pompei manibus subacta reliqua, quae restabant in Europa, Fortuna in Caesarem transtulit. restabant autem inmanis-

1 idem *N* || 4 praenauigantes *N* || inopinato *B*, inopia nato *N* || 8 proeliatur *N* || 10 accepit *B* || 11 percussit *bN* || terruere romanos *N* || 12 nam *om* *N* || experti *scripserim* || 13 clamore *bis* *N* || 14 dilapsique *bis* *N* || 16 XLIIII *B* || CYPRVM *B* || 18 uenire *B* || 19 ptolomeus *B* || et diuitiarum *N* || 21 plebis *om* *N* || 23 portius *N* || 26 XLV *B* ||

simi gentium Galli atque Germani et quamuis toto orbe diuisi, tamen quia uincere libuit, Britanni.

Primus Galliae motus ab Heluetiis coepit, qui Rhodanum inter et Rhenum siti, non sufficientibus terris uenere sedem petitum, incensis moenibus suis: hoc sacramentum fuit, ne redirent. sed petito tempore ad deliberandum, cum inter moras Caesar Rhodani ponte rescisso fugam abstulisset, statim bellicosissimam gentem sic in sedes suas quasi greges in stabulum pastor reduxit. sequens longe longeque cruentior pugna Belgarum, quippe pro libertate pugnantium. hic cum multa Romanorum militum insignia, tum illud egregium ipsius ducis, quod, nutante in fuga exercitu, rapto fugientis e manu scuto in primam uolitans aciem manu proelium restituit. inde cum Venetis etiam nauale bellum, sed maior cum Oceano quam cum ipsis nauibus rixa. quippe illae rudes et informes et statim naufragae, cum rostra sensissent; sed haerebat in uadis pugna, cum aestibus solitis in ipso certamine subductus Oceanus intercedere bello uideretur. illae quoque accessere diuersitates pro gentium locorumque natura. Aquitani, callidum genus, in speluncas se recipiebant: iussit includi; morabantur in siluis: iussit incendi. nemo tantum feroces dixerit Gallos: fraudibus agunt. Indutiomarus Treueros, Ambiorix concitauit Eburones. utrique, absente Caesare coniuratione facta, inuasere legatos. sed ille fortiter a Dolabella summotus est, relatumque regis caput; hic insidiis in ualle dispositis dolo perculit. itaque et castra direpta sunt et Aurunculeium Cottam cum Titurio Sabino legatos amisimus. nec ulla de rege mox ultio; quippe perpetua trans Rhenum fuga latuit.

Nec Rhenus ergo immunis; nec enim fas erat ut liber esset receptator hostium atque defensor. et prima contra Germanos

2 qui uincerit habuit brittaniam *N* ‖ brittanni *b* ‖ 3 ad belgetis *N* ‖ rodanum *N* ‖ 4 hrenum *N* ‖ 7 resciso *B* ‖ abstulisset fugam *N* ‖ abstulisse *B* ‖ 8 quasi in stabula *N* ‖ 9 deduxit *N* ‖ longe *om N* ‖ belcarum *B* ‖ 10 hinc *B* ‖ 11 egregius *b* ‖ 12 exercitus *B* ‖ 13 uenetsiis *B* ‖ 16 sed *om B* ‖ cum cum aestibus *N* ‖ 17 cum ipso *N* ‖ 20 nec mora dilabebantur in siluas *N* ‖ 21 dixerat *N* ‖ indubiomarus *B* ‖ 22 treberos *B* ‖ ambiorex *B* ‖ conuocauit *N* ‖ euburones *B* ‖ 23 inuenere *N* ‖ 26 Aurunculeium *Perizonius:* aurum ablatum *BN* ‖ quod tam *B*, cotta *N* ‖ tirio *B* ‖ legato *N* ‖ 29 immunis *om B* ‖ 30 sed *N* ‖

illius pugna iustissimis quidem ex causis. Haedui de incursionibus eorum querebantur. quae erat Ariouisti regis superbia! cui cum legati dicerent 'ueni ad Caesarem;' et 'quis est Caesar?' et 'si uult, ueniat' inquit, et 'quid ad illum, quid agat nostra Germania? num ego me interpono Romanis?' itaque tantus gentis nouae terror in castris ut testamenta passim etiam in principiis scriberentur. sed illa immania corpora quo maiora erant, eo magis gladiis ferroque patuerunt. qui calor in proeliando militum fuerit, nullo magis exprimi potest quam quod, elatis super caput scutis cum se testudine barbarus tegeret, super ipsa Romani scuta salierunt, et inde in iugulos gladii descendebant. iterum de Germano Tencteri querebantur. hic uero iam Caesar ultro Mosellam nauali ponte transgreditur ipsumque Rhenum et Hercyniis hostem quaerit in siluis; sed in saltus ac paludes gens omnis diffugerat. tantum pauoris incussit intra ripam subita Romana uis. nec semel Rhenus, set iterum quoque, et quidem ponte facto penetratus est. maior aliquanto trepidatio. quippe cum Rhenum suum sic ponte quasi iugo captum uiderent, fuga rursus in siluas et paludes, et, quod acerbissimum Caesari fuit, non fuere, qui uincerentur.

Omnibus terra marique peragratis respexit Oceanum et, quasi hic Romanis orbis non sufficeret, alterum cogitauit. classe igitur conparata Britanniam transit mira celeritate; quippe qui tertia uigilia cum Morinorum soluisset a portu, minus quam medio die insulam ingressus est. plena erant tumultu hostica litora, et trepidantia ad conspectum rei nouae carpenta uolitabant. itaque trepidatio pro uictoria fuit. arma et obsides accepit a trepidis, et ulterius isset, nisi inprobam classem naufragio castigasset

1 haec auide incursionibus *N* ‖ 2 quaerebantur *B* ‖ quae erat *scripsi:* quaet *B*, quae *N* ‖ ariobisti *B* ‖ cui *om N* ‖ 3 et *om N* ‖ est autem caesar *N* ‖ 5 romanos *N* ‖ 6 in *om B* ‖ 7 erant maiora *N* ‖ 9 maius *N* ‖ pote est *B* ‖ 11 gladiis *N* ‖ iteorum *B* ‖ 12 genteri *B*, centeri *N* ‖ 13 musellam *B*, massiliam *N* ‖ Hercyniis *edd. uett:* hyrcanis *BN* ‖ 14 paludis *B* ‖ genus omne *N* ‖ 15 subita *Wakefieldius ad Lucretii II*, 363: subito *BN* ‖ 16 et iterum *N* ‖ 17 sed maior *N*. *fortasse* tum maior ‖ 19 sed quod *N* ‖ aceruissimum *B* ‖ 21 marique captis respexit *N* ‖ set quasi *N* ‖ 22 romanus *N* ‖ alterum *om B* ‖ 23 bretanniam *B* ‖ brittaniam petit in brittaniam transit *N* ‖ 24 cum Morinorum soluisset *Halmius:* commorinosmouisset *B*, marinosoluisset *N* ‖ 25 hostica *Mommsenius*: hostico *bN*, hostilico *B* ‖ 26 et conspectum *B* ‖

Oceanus: reuersus igitur in Galliam, classe maiore auctisque copiis in eundem rursus Oceanum eosdemque rursus Britannos. Caledonas secutus in siluas unum quoque ex regibus Cassiuelani in uincla dedit. contentus his (non enim prouinciae, sed nomini studebatur) cum maiore quam prius praeda reuectus est, ipso quoque Oceano tranquillo magis et propitio, quasi imparem ei se fateretur.

Sed maxima omnium eademque nouissima coniuratio fuit Galliarum communis: pariter Aruernos atque Biturigas, Carnutas simul Sequanosque contraxit. hic corpore armis spirituque terribilis, nomine etiam quasi ad terrorem conposito, Vercingetorix ille festis diebus et conciliabulis, cum frequentissimos in lucis haberet, ferocibus dictis ad ius pristinum libertatis erexit. aberat tunc Caesar Rauennae dilectum agens, et hieme creuerant Alpes: sic interclusum putabant iter. sed ille qualis erat ad nuntium rei felicissimae temeritatis per inuios ad id tempus montium tumulos, per intactas uias et niues, expedita manu emensus Galliam, et ex distantibus hibernis castra contraxit, et ante in media Gallia fuit, quam ab ultima timeretur. tum ipsa capita belli adgressus urbes, Auaricum quadraginta milium propugnantium sustulit, Alesiam ducentorum quinquaginta milium iuuentute subnixam flammis adaequauit. circa Gergouiam Aruernorum tota belli moles fuit. quippe cum octoginta milia muro et arce et abruptis ripis defenderent, maximam ciuitatem uallo sudibus et fossa inductoque fossae flumine, ad hoc decem et octo castellis ingentique lorica circumdatam primum fame domuit; mox audentem eruptiones in uallo gladiis sudibusque concidit; nouissime in deditionem redegit. ipse ille rex, maxi-

1 reuersis *B* ‖ 2 brittannus *b*, brittannos *BN* ‖ 3 calidonias *N* ‖ et *B*, e *N* ‖ Cassiuelani *Freinshemius:* casuella *B*, cauelianis *N* ‖ 4 uincula *N* ‖ is *B* ‖ 6 ei *om N* ‖ 9 communis *Halmius:* cum omnis *BN* ‖ aruennos *B* ‖ bituricas *B* ‖ carnuntas *N* ‖ 10 seguanosque *N* ‖ hi corpore *B*, ille corpore *N* ‖ 11 terribiles nomen *B* ‖ quasi terrore *N* ‖ uergingetorix *B*, uergincetoris *N* ‖ 13 luces *N* ‖ 16 felicissimae temeritatis *post* qualis erat *posuit Freinshemius*, felicissima temeritate *Salmasius* ‖ 17 set niues *N* ‖ 18 emensus occupat galliam *N* ‖ 20 urbẽs alaricum *B*, aluaricum *N* ‖ milia *N* ‖ 21 sustulit *deleuerim* ‖ 22 georgouiam *N* ‖ aruenuenorum *B* ‖ 23 cum milite muro *N* ‖ 24 apruptis *B* ‖ ripis *om N* ‖ 26 intentique *B* ‖ circumdata *B* ‖ 27 gladiis *om B* ‖

mum uictoriae decus, supplex cum in castra uenisset, equum et phaleras et sua arma ante Caesaris genua proiecit. 'habe' inquit. 'fortem uirum, uir fortissime, uicisti.'

XLV. BELLVM PARTHICVM.

III,.11 Dum Gallos per Caesarem in septentrione debellat, ipse interim ad orientem graue uolnus a Parthis populus Romanus accepit. nec de fortuna queri possumus; caret solacio clades. aduersis et dis et hominibus cupiditas consulis Crassi, dum Parthico inhiat auro, undecim strage legionum et ipsius capite multata est. et tribunus plebi Metellus exeuntem ducem hostilibus diris deuouerat, et cum Zeugma transisset exercitus, rapta subitis signa turbinibus hausit Euphrates, et cum aput Nicephorium castra posuisset, missi ab Herode rege legati nuntiauere, percussorum cum Pompeio foederum Sullaque meminisset. regiis inhians ille thensauris, nihil ne imaginario quidem iure, set Seleuciae se responsurum esse respondit. itaque dii foederum ultores nec insidiis nec uirtuti hostium defuerunt. iam primum, qui solus et subuehere commeatus et munire poterat a tergo, relictus Euphrates, dum simulato transfugae cuidam Mazarae Syro creditur. tum in mediam camporum uastitatem eodem duce ductus exercitus, ut undique hosti exponeretur. itaque uixdum uenerat Carrhas, cum undique praefecti regis Silaces et Sirenas ostendere signa auro sericisque uexillis uibrantia. tunc sine mora circumfusi undique equitatus in modum grandinis atque nimborum densa pariter tela fuderunt. sic miserabili strage deletus exercitus. ipse in conloquium sollicitatus, signo dato uiuus hostium manus incidisset, nisi tribunis reluctantibus fugam ducis barbari ferro occupassent. [sic quoque relatum caput ludibrio hos-

1 cum *** (extra 2 *manu*) uenisset *B* ‖ uenisset cum et faleras *N* ‖ 2 habe *Petrarcha historia Iulii Caesaris* 18, 52: habes *BN* ‖ 4 XLVI *B* ‖ 5 septentrionem *N* ‖ 6 uulnus *B* ‖ a phartis *N* ‖ 8 diis *B* ‖ 10 plebis *N* ‖ Ateius *Freinshemius* ‖ exuentem *B* ‖ hostibus *B* ‖ 12 eufrates *N* ‖ Nicephorium *Vinetus:* nicephorum *BN* ‖ 13 orode *N* ‖ denunciauere *N* ‖ 14 syllaque *B*, sullamque *N* ‖ *num* set regiis? ‖ 15 thesauris *B* ‖ ne *om N* ‖ 18 muniri *B* ‖ 19 mazzara *N* ‖ 20 tum *om B* ‖ 21 ut *om N* ‖ 22 syrenas *N* ‖ hostendere *B* ‖ 23 tum *N* ‖ 27 in hostium *N* ‖ incidit sed nisi *N* ‖

tibus fuit.] filium ducis paene in conspectu patris idem telis operuerunt. reliquiae infelicis exercitus, quo quemque rapuit fuga, in Armeniam Ciliciam Syriamque distractae, uix nuntium cladis
I retulerunt. "caput eius recisum cum dextera manu ad regem reportatum ludibrio fuit, neque indigno. aurum enim liquidum in rictum oris infusum est, ut cuius animus arserat auri cupidi-
[*I*]tate, eius etiam mortuum et exangue corpus auro ureretur."

XLVI. ANACEPHALAEOSIS.

Haec est illa tertia aetas populi Romani transmarina, qua Italia III, 12
progredi ausus orbe toto arma circumtulit. cuius aetatis superiores centum anni sancti pii et, ut diximus, aurei, sine flagitio, sine scelere, dum sincera adhuc et innoxia pastoriae illius sectae integritas, dumque Poenorum hostium inminens metus disciplinam ueterem continebat. posteri centum, quos a Carthaginis Corinthi Numantiaeque excidiis et Attali regis Asiatica hereditate deduximus in Caesarem et Pompeium secutumque hos, de quo dicemus, Augustum, ut claritate rerum bellicarum magnifici, ita domesticis cladibus miseri et erubescendi. quippe sicut Galliam Thraciam Ciliciam Cappadociam, uberrimas ualidissimasque prouincias, Armenios etiam et Britannos, ut non in usum, ita ad imperii speciem magna nomina adquisisse pulchrum ac decorum; ita eodem tempore dimicasse domi cum ciuibus sociis mancipiis gladiatoribus totoque inter se senatu turpe atque miserandum. ac nescio an satius fuerit populo Romano Sicilia et Africa contento fuisse, aut his etiam ipsis parcere dominanti in Italia sua, quam eo magnitudinis crescere ut uiribus suis conficeretur. quae enim res alia ciuiles furores peperit quam nimiae felicitates? Syria prima nos uicta corrupit, mox Asiatica

1 hosti *N* ‖ poene *B* ‖ eisdem *N* ‖ 2 quo *om B* ‖ 3 armoeniam siliciam siriamque *B* ‖ clades *N* ‖ 4 praecisum I^h ‖ 5 ludibrium I^h ‖ 8 XLVII ANAKEΦALEOSIS *B*, ANACEPKALAEOSIS *N* ‖ 9 tertia *om B* ‖ 14 postremi *N* ‖ quod *B* ‖ charthaginis *B* ‖ 17 dicemus *edd uett:* dicimus *BN* ‖ et claritate *N* ‖ 19 gallia *B* ‖ siciliam *B* ‖ 20 bretannos *b*, brettannos *B*, brittannos *N* ‖ 21 uisum *B* ‖ atquisisse *B*, adquesisse *N* ‖ 22 hac *B* ‖ 23 turre *N* ‖ 24 an nescio *N* ‖ ac satis *B* ‖ 25 contentos *B* ‖ carere dominant *N* ‖ 28 nimiae felicitatis *B*, nimia felicitas *N* ‖

Pergameni regis hereditas. illae opes atque diuitiae adflixere saeculi mores, mersamque uitiis suis quasi sentina rem publicam pessum dedere. unde enim populus Romanus a tribunis agros et cibaria flagitaret nisi per famem quam luxus fecerat? hinc ergo Gracchanae prima et secunda et illa tertia Apuleiana seditio. unde iudiciariis legibus diuulsus ab senatu eques nisi ex auaritia, ut uectigalia rei publicae atque ipsa iudicia in quaestu haberentur? hinc Drusus et promissa ciuitas Latio et per hoc arma sociorum. quid autem? bella seruilia unde nobis nisi ex abundantia familiarum? unde gladiatorii aduersum dominos suos exercitus, nisi ad conciliandum plebis fauorem effusa largitio, dum spectaculis indulget, supplicia quondam hostium artem faceret? iam ut speciosiora uitia tangamus, nonne ambitus honorum ab isdem diuitiis concitatus? atquin inde Mariana, inde Sullana tempestas. aut magnificus apparatus conuiuiorum et sumptuosa largitio non ab opulentia paritura mox egestatem? haec Catilinam patriae suae inpegit. denique illa ipsa principatus et dominandi cupido unde nisi ex nimiis opibus uenit? atquin haec Caesarem atque Pompeium furialibus in exitium rei publicae facibus armauit. hos igitur omnis domesticos motus separatos ab externis iustisque bellis ex ordine persequemur.

4 luxu *N* || 5 Gracchanae *scripsi:* gracchana et *B*, eracliana et *N* || appuleiana *B* || 6 unde *edd uett:* inde *B*, *om N spatio maiore relicto* || at *B*, a *N* || 7 uictigalia *N* || quaestum *B* || 8 hinc rursus *N* || 10 familiarium *B* || aduersus *N* || 11 at *B* || 12 cum *N* || artem faceret *scripsi:* arte fecere *B*, artem facit *N* || 14 ad *B* || 14 hisdem *N* || incitatus *N* || syllana *B* || 16 hopulentia *B* || catillinam *B* || 18 nimis *N* || adquin *N* || 20 omnes *B* || 21 EPYTOMA IVL FLRI DE TITO LVIO LB̄ ·I· EXPLCT· *B* ||

IVLI FLORI

EPITOMAE DE TITO LIVIO

BELLORVM OMNIVM ANNORVM DCC

LIBER II.

KAPITA LIBRI II.

I. De legibus Gracchanis.
II. Seditio C. Gracchi.
III. Seditio Apuleiana.
IIII. Seditio Drusiana.
V. Bellum aduersus socios.
VI. Bellum seruile.
VII. Bellum Sparthacium.
VIII. Bellum ciuile Marianum.
VIIII. Bellum Sertorianum.
X. Bellum ciuile sub Lepido.
XI. Bellum Catilinae.
XII. Bellum ciuile Caesaris et Pompei.
XIII. Bellum Caesaris Augusti.
XIIII. Bellum Mutinense.
XV. Bellum Perusinum. Triumuiratus.
XVI. Bellum Cassi et Bruti.
XVII. Bellum cum Sexto Pompeio.
XVIII. Bellum Parthicum sub Ventidio.

5 *capita om N* ‖ 7 C *om B. excidit seditio Ti Gracchi* ‖ 12 sparthacum *B* ‖

XVIIII. Bellum Parthicum sub Antonio.
XX. Bellum cum Antonio et Cleopatra.
XXI. Bellum Noricum.
XXII. Bellum Illyricum.
XXIII. Bellum Pannonicum.
XXIIII. Bellum Delmaticum.
XXV. Bellum Moesum.
XXVI. Bellum Thracicum.
XXVII. Bellum Dacicum.
XXVIII. Bellum Sarmaticum.
XXVIIII. Bellum Germanicum.
XXX. Bellum Gaetulicum.
XXXI. Bellum Armenicum.
XXXII. Bellum Cantabricum et Asturicum.
XXXIII. Pax Parthorum et consecratio Augusti.

7 Mysum *B* || 15 EPYTOMA IVLI FLORI· BELLORVM OMNIVM· EX TITO LIVIO INCIPIT LIBER SECVNDVS' *B* ||

I. DE LEGIBVS GRACCHANIS.

Seditionum omnium causas tribunicia potestas excitauit, quae III, 13
specie quidem plebis tuendae, cuius in auxilium comparata est, re autem dominationem sibi adquirens, studium populi ac fauorem agrariis frumentariis iudiciariis legibus aucupabatur. inerat omnibus species aequitatis. quid tam iustum enim quam recipere plebem sua a patribus [ne populus gentium uictor orbisque possessor extorris aris ac focis ageret]? quid tam aequum quam inopem populum uiuere ex aerario suo? quid ad ius libertatis aequandae magis efficax quam ut senatu regente prouincias ordinis equestris auctoritas saltem iudiciorum regno niteretur? sed haec ipsa in perniciem redibant, et misera res publica in exitium sui merces erat. nam et a senatu in equitem translata iudiciorum potestas uectigalia id est imperii patrimonium subprimebat, et emptio frumenti ipsos rei publicae neruos exhauriebat aerarium, et reduci plebs in agros unde poterat sine possidentium euersione, qui ipsi pars populi erant, et iam relictas sibi a maioribus sedes aetate quasi iure possidebant?

II. SEDITIO TIBERI GRACCHI.

Primam certaminum facem Ti. Gracchus accendit, genere forma III, 14
eloquentia facile princeps. set hic, siue Mancinianae deditionis, quia sponsor foederis fuerat, contagium timens et inde popularis,

1 GRACKANIS *N* ‖ 3 species *N* ‖ 4 ad fauorem *N* ‖ 5 ȧċ iudiciariis *B* ‖ 7 plebem ius suum a *N* ‖ 8 a focis *B* ‖ 9 quid satius libertatis *B* ‖ 11 equestres *B* ‖ uteretur *B* ‖ 12 rediebant *N* ‖ 13 exilium *B* ‖ suum *N* ‖ 15 exauriebat *BN* ‖ 16 et *om N* ‖ 17 et iam *scripsi:* et tam *B*, et tamen *N* ‖ 18 a *om B* ‖ quas *B* ‖ 19 TYBERII *B* ‖ GRACCKJ *N* ‖ 20 pacem *B* ‖ Ti. *add edd uett: om BN* ‖ 21 seditionis qua *B* ‖

siue aequo et bono ductus, quia depulsam agris suis plebem miseratus est, ne populus gentium uictor orbisque possessor laribus ac focis suis exularet, quacumque mente rem ausus ingentem est. postquam rogationis dies aderat ingenti stipatus agmine rostra conscendit, nec deerat obuia manu tota inde nobilitas. et tribuni in partibus. set ubi intercedentem legibus suis C. Octauium uidet Gracchus, contra fas collegii iuris potestatis iniecta manu depulit rostris, adeoque praesenti metu mortis exterruit ut abdicare se magistratu cogeretur. sic triumuir creatus diuidendis agris cum ad perpetranda coepta die comitiorum prorogari sibi uellet imperium, obuia nobilitas manu eorum, quos agris mouerat. caedes a foro coepit; inde cum in Capitolium profugisset plebemque ad defensionem salutis suae manu caput tangens hortaretur, praebuit speciem regnum sibi et diadema poscentis, adque ita duce Scipione Nasica, concitato in arma populo, quasi iure oppressus est.

III. SEDITIO C. GRACCHI.

III, 15 Statim et mortis et legum fratris sui uindex non minore impetu incaluit C. Gracchus. qui cum pari tumultu atque terrore plebem in auitos agros arcesseret, et recentem Attali hereditatem in alimenta populo polliceretur, iamque nimius et inpotens altero tribunatu secunda plebe uolitaret, obrogare auso legibus suis Minucio tribuno, fretus comitum manu fatale familiae suae Capitolium inuasit. inde proximorum caede depulsus cum se in Auentinum recepisset, inde quoque obuia senatus manu ab Opimio consule oppressus est. insultatum quoque mortis reliquiis, et illud sacrosanctum caput tribuni plebis percussoribus auro repensatum.

2 nemo cum gentium *N* ‖ 3 exsolaret *N* ‖ 4 est *Halmius:* sed *B*, *om N* ‖ ederat *B* ‖ acmine *B* ‖ 6 g. *N* ‖ 7 ius potestatis *N* ‖ infecta *N* ‖ 10 at perperna cepta *B* ‖ 11 nobilium manu eorumque *N* ‖ 12 caepit *N* ‖ cedere a foro coegit *Halmius* ‖ 17 G. GRACCKI *N* ‖ 19 G *BN* ‖ 20 adtali *B* ‖ 21 inpotens *Heinsius:* potens *BN* ‖ 22 obrogare ς*:* ab rogare *BN* ‖ 23 minutio *BN* ‖ comitium *B* ‖ fatalem *N* ‖ 26 reliquis *N* ‖ 28 pensatum est *N* ‖

IIII. SEDITIO APVLEIANA.

Nihilo minus Apuleius Saturninus Gracchanas adserere leges III, 16
non destitit. tantum animorum Marius dabat, qui nobilitati semper inimicus, consulatu suo praeterea confisus**. occiso palam comitiis A. Ninnio conpetitore tribunatus subrogare conatus est in eius locum C. Gracchum, hominem sine tribu, sine notore, sine nomine; set subdito titulo in familiam ipse se adoptabat. cum tot tantisque ludibriis exultaret inpune, rogandis Gracchorum legibus ita uehementer incubuit ut senatum quoque cogeret in uerba iurare, cum abnuentibus aqua et igni interdicturum minaretur. unus tamen extitit, qui mallet exilium. igitur post Metelli fugam omni nobilitate perculsa cum iam tertium annum dominaretur, eo uesaniae progressus est ut consularia quoque comitia noua caede turbaret. quippe ut satellitem furoris sui Glauciam consulem faceret, Publium Mummium conpetitorem interfici iussit, et in eo tumultu regem ex satellitibus suis se appellatum laetus accepit. tum uero iam conspiratione senatus, ipso quoque iam Mario consule, quia tueri non poterat, aduerso, directae in foro acies; pulsus inde Capitolium inuasit. sed cum abruptis fistulis obsideretur senatuique per legatos paenitentiae fidem faceret, ab arce degressus cum ducibus factionis receptus in curiam est. ibi eum facta inruptione populus fustibus saxisque opertum ipsa quoque morte lacerauit.

V. SEDITIO DRVSIANA.

Postremo Liuius Drusus non tribunatus modo uiribus, sed ipsius III, 17
etiam senatus auctoritate totiusque Italiae consensu easdem leges adserere conatus, dum alium captat ex alio, tantum conflauit

2 nihil hominus B ‖ gracchanus B ‖ 3 animorum *om* B ‖ uiro marius BN, uiro *deleui* ‖ 5 annio N ‖ 6 g. N ‖ tribus BN ‖ sine notores B, *om* N ‖ 7 subito B ‖ 9 ueementer B ‖ 10 annuentibus B ‖ interdicturum se minaretur N ‖ 12 iam cum N ‖ 13 uaesaniae BN ‖ consolaria b ‖ 14 suis N ‖ 15 clauciam N ‖ facere B ‖ c. meummium N ‖ competorem B ‖ 16 atellitibus B ‖ se *om* BN ‖ 19 derectae B ‖ expulsus N ‖ 20 abrutis b ‖ fistolis N ‖ 21 digressus B ‖ factiones N ‖ 23 coopertum in ipsa N ‖ 24 DRVSIANA SEDITIO N ‖ 27 aliud capta N ‖

incendium ut ne primam illius flammam posset sustinere et subita morte correptus hereditarium in posteros suos bellum propagaret. iudiciaria lege Gracchi diuiserant populum Romanum et bicipitem ex una fecerant ciuitatem. equites Romani tanta potestate subnixi, ut qui fata fortunasque principum haberent in manu, interceptis uectigalibus peculabantur suo iure rem publicam; senatus exilio Metelli, damnatione Rutili debilitatus omne decus maiestatis amiserat. in hoc statu rerum pares opibus animis dignitate (una natalium a Druso aemulatio facessierat) equitem Seruilius Caepio, senatum Liuius Drusus adserere. signa aquilae et uexilla deerant: ceterum sic urbe in una quasi in binis castris dissidebatur. prior Caepio in senatum impetu facto reos ambitus Scaurum et Philippum principes nobilitatis elegit. his ut motibus resisteret Drusus, plebem ad se Gracchanis legibus, isdemque socios ad plebem spe ciuitatis traxit. extat uox ipsius, nihil se ad largitionem ulli reliquisse, nisi si quis aut caenum diuidere uellet aut caelum. aderat promulgandi dies, cum subito tanta uis hominum undique apparuit, ut hostium aduentu obsessa ciuitas uideretur. ausus tamen obrogare legibus consul Philippus, sed adprehensum faucibus uiator non ante dimisit quam sanguis in os et oculos redundaret. sic per uim latae iussaeque leges. et pretium rogationis statim socii flagitare; cum inparem Drusum aegrumque rerum temere motarum matura, ut in tali discrimine, mors abstulit. nec ideo minus socii promissa Drusi a populo Romano reposcere armis destiterunt.

1 primam illius flammam *scripsi:* prima illius flamma *BN* ‖ sustinere *b:* sustineri *BN* ‖ 3 iudicaria *B* ‖ g. gracchi *N* ‖ 4 sed *B* ‖ 6 iure — exilio *om N* ‖ 7 senatus ς*:* pilatus *B* ‖ ruttili *N* ‖ 8 regum *N* ‖ 9 una natalium a *Hauptius:* unde et natalium *B*, unde et nataliuio *N* ‖ facessierat *Hauptius:* accesserat *BN* ‖ 10 equitatem *B*, aequitum *N* ‖ 11 signa et aquilae *N* ‖ aderant *N* ‖ 12 senatu *B* ‖ 15 isdemque sociis *B*, eisdem socios *N* ‖ 16 traxit *Freinshemius:* erexit *BN* ‖ exat *B*, exstat *N* ‖ 17 si *om N* ‖ 19 o͞m͞s rogare sub legibus *B*, obrogare de legibus *N* ‖ 21 diuisit *B* ‖ in ore oculos *N* ‖ 22 ius aeque *N* ‖ sed *N* ‖ rogationes *B* ‖ 23 sociis *N* ‖ cum interim drusum *N* ‖ 26 destiterunt *Mommsenius:* desierunt *BN* ‖

VI. BELLVM ADVERSVM SOCIOS.

Sociale bellum uocetur licet ut extenuemus inuidiam, si uerum III, 18
tamen uolumus, illud ciuile bellum fuit. quippe cum populus Romanus Etruscos Latinos Sabinosque sibi miscuerit et unum ex omnibus sanguinem ducat, corpus fecit ex membris et ex omnibus unus est; nec minore flagitio socii intra Italiam quam intra urbem ciues rebellabant. itaque cum ius ciuitatis quam uiribus auxerant socii iustissime postularent, quam in spem eos cupidine dominationis Drusus erexerat, postquam ille domestico scelere oppressus est, eadem fax, quae illum cremauit, socios in arma et expugnationem urbis accendit. quid hac clade tristius? quid calamitosius? cum omne Latium atque Picenum, Etruria omnis atque Campania, postremo Italia contra matrem suam ac parentem urbem consurgeret; cum omne robur fortissimorum fidelissimorumque sociorum sub suis quisque signis haberent municipalia illa prodigia, Pompedius Marsos, et Latinos Afranius, Vmbros Plotius, Egnatius Etruscos, Samnium Lucaniamque Telesinus; cum regum et gentium arbiter populus ipsum se regere non posset, et uictrix Asiae et Europae a Corfinio Roma adpeteretur.

Primum fuit belli in Albano monte consilium, ut festo die Latinarum Iulius Caesar et Marcius Philippus consules inter sacra et aras immolarentur. postquam id nefas proditione discussum est, Asculo furor omnis erupit, in ipsa quidem ludorum frequentia trucidatis qui tunc aderant ab urbe legatis. hoc fuit impii belli sacramentum. inde iam passim ab omni parte Italiae duce et auctore belli discursante Pompedio diuersa per populos et urbes signa cecinere. nec Annibalis nec Pyrrhi fuit tanta ua-

1 BELLVM QVOD ADVERSVS SOCIOS GESTVM EST *N* ‖ 3 illut *N* ‖ 4 sibi *om N* ‖ 7 cum tusci ciuitates quas *N* ‖ 8 ad quam speos *N* ‖ 9 dominationes *B* ‖ erexerant *B* ‖ 10 opressus *B* ‖ 11 et in expugnationem *N* ‖ hec *N* ‖ 13 matrem ac parentem suam *N* ‖ 16 poppedius *B*, poppedios *N* ‖ 17 afrienos *B*, affranius *N* ‖ Plotius *Tollius fortuitorum c 22:* totos *B*, totus *N* ‖ Egnatius Etruscos *Lipsius:* senat$\overset{u}{o}$s et consules *BN* ‖ 18 etelesinus *B* ‖ rerum *B* ‖ 19 ut uictrix asiae europaeque *N* ‖ confinio *B* ‖ 20 roma *om B* ‖ petereteur *N* ‖ 21 primo *B* ‖ 24 aesculo *N* ‖ eripuit *B* ‖ 25 tum *N* ‖ fuit inbellis sacramentum *B* ‖ 27 pompeio *B*, poppedio *N* ‖ 28 pyrri *B* ‖

statio. ecce Ocriculum, ecce Grumentum, ecce Faesulae, ecce Carseoli Aesernia Nuceria Picentia penitus ferro et igne uastantur. fusae Rutili copiae, fusae Caepionis. nam ipse Iulius Caesar exercitu amisso cum in urbem cruentus referretur miserabili funere, mediam per uiam defecit. sed magna populi Romani fortuna, et semper in malis maior, totis denuo uiribus consurrexit; adgressique singulos populos Cato discutit Etruscos, Gabinius Marsos, Carbo Lucanos, Sulla Samnites; Pompeius uero Strabo omnia flammis ferroque populatus non prius finem caedium fecit, quam Asculi euersione manibus tot exercituum consulum direptarumque urbium dis litaretur.

VII. BELLVM SERVILE.

III, 19 Hucusque etsi cum sociis — nefas — cum liberis tamen et ingenuis dimicatum est: quis aequo animo ferat in principe populo bella seruorum? primum seruile bellum inter initia libertatis Herdonio duce Sabino in ipsa urbe temptatum est, cum occupata tribuniciis seditionibus ciuitate Capitolium obsessum est et a consule receptum; sed hic tumultus magis fuit quam bellum. mox imperio per diuersa terrarum occupato, quis crederet Siciliam multo cruentius seruili quam Punico bello esse uastatam? terra frugum ferax et quodam modo suburbana prouincia latifundiis ciuium Romanorum tenebatur. hic ad cultum agri frequentia ergastula catenatique cultores materiam bello praebuere. Syrus quidam nomine Eunus — magnitudo cladium facit, ut meminerimus — fanatico furore simulato dum Syriae deae co-

1 crumentum *B* ‖ pessulae *B* ‖ et carseoli *B*, ecce parseoli *N* ‖ 2 Aesernia *scripsi:* reserata *B*, reserat *N* ‖ Picentia penitus *Hauptius:* picentimoenibus *B*, picentia caedibus *N* ‖ 3 rutilae *B* ‖ copionis *B* ‖ illius caesar *B*, Rutilius consul *Freinshemius* ‖ 4 ammisso cur *B* ‖ eferretur *N* ‖ miserabili fine *Titzius* ‖ 5 mediam per *scripsi:* mediam urbem per *BN* ‖ defecit *Titzius:* fecit *BN* ‖ 6 est *B* ‖ de suo *N* ‖ insurrexit *N* ‖ 7 singuli *N* ‖ ettruscos *B* ‖ gauinius *N* ‖ 8 sylla *BN* ‖ 9 strabo uero pompeius *N* ‖ strabo *om B* ‖ 10 fecit *om N* ‖ quam hac euersione *B* ‖ 13 hucusque *scripsi:* utcumque *N*, id qualitercumque *B* ‖ cum *om B* ‖ libertis *B* ‖ 14 principe gentium populo *N* ‖ 15 inter initia libertatis *scripsi:* in italia urbis *B*, inter initia urbis *N* ‖ 16 Sabino duce *N* ‖ 18 captum *N* ‖ 21 terram *B* ‖ lati fundis *B*, late fundis *N* ‖ 22 romanorum latinorum tenebatur *N* ‖ at *b* ‖ 24 sirus *B* ‖ conus *B* ‖ gladium *BN* ‖ et *B* ‖ 25 siriae *N* ‖

mas iactat, ad libertatem et arma seruos quasi numinum imperio concitauit; idque ut diuinitus fieri probaret, in ore abdita nuce quam sulpure et igni stipauerat, leniter inspirans flammam inter uerba fundebat. hoc miraculum primo duo milia ex obuiis, mox iure belli refractis ergastulis sexaginta amplius milium fecit exercitum; regisque, ne quid mali deesset, decoratus insignibus castella uicos oppida miserabili direptione uastauit. quid? illud quoque ultimum dedecus belli, capta sunt castra praetorum — nec nominare ipsos pudebit, castra Manlii Lentuli Pisonis Hypsaei. itaque qui per fugitiuarios abstrahi debuissent praetorios duces profugos proelio ipsi sequebantur. tandem Perperna imperatore supplicium de eis sumptum est. hic enim uictos et aput Hennam nouissime obsessos cum fame quasi pestilentia consumpsisset, reliquias latronum compedibus catenis crucibusque puniuit; fuitque de seruis ouatione contentus, ne dignitatem triumphi seruili inscriptione uiolaret.

Vixdum respirauerat insula, cum statim Seruilio praetore a Syro reditur ad Cilicem. Athenio pastor interfecto domino familiam ergastulo liberatam sub signis ordinat. ipse ueste purpurea argenteoque baculo et regium in morem fronte redimita non minorem quam ille fanaticus prior conflauit exercitum, acriusque multo, quasi et illum uindicaret, uicos oppida castella diripiens, in dominos, quamquam in seruos infestius quasi in transfugas saeuiebat. ab hoc quoque praetorii exercitus fusi, capta Seruili castra, capta Luculli. sed Titus Aquilius Perpernae usus exemplo, interclusum hostem commeatibus ad extrema conpulit comminutasque copias fame armis facile deleuit; dedidissentque se, nisi suppliciorum metu uoluntariam mortem prae-

1 iactant *B* ‖ 2 idque ad diuinitus *B* ‖ ore ad quam sulphure *B* ‖ 3 stipauerant *B* ‖ leniter ς: leuiter *BN* ‖ 4 ex obuiis ς: ex obulis *N*, *om B* ‖ 6 regiisque *N* ‖ nec *B* ‖ malis *N* ‖ 7 quin *N* ‖ illut *N* ‖ 8 quoque in ultimum belli dedecus *N* ‖ decus *B* ‖ 9 manili *N* ‖ pisconis *N* ‖ 10 ipse *B* ‖ quipe *N* ‖ fugituario *B* ‖ abstrai *B* ‖ distrahi *N* ‖ 11 sequebatur *B* ‖ 12 imperatores *B* ‖ his *B* ‖ uicos *B* ‖ 13 bennam *B* ‖ 14 consumpsissent *B* ‖ catenis religauit crucibusque *N* ‖ 15 oratione *B* ‖ 17 Seruilio praetore *Mommsenius*: seruile et *B*, serui et *N* ‖ 19 purporea *B* ‖ 20 more *B* ‖ 21 conflat *N* ‖ 23 quamquam *scripsi*: quam *B*, *om N* ‖ 24 ab hocque praetoris *N* ‖ caesi *N* ‖ 25 luculi *N* ‖ titus *om N* ‖ 26 comeatibus *B* ‖ 27 comminutasuae *B*, communitasque *N* ‖ armis fame *N* ‖ dedissentque se *B*, dedidissent se *N* ‖ metu ac uoluntariam *N* ‖

tulissent. ac ne de duce quidem supplicium exigi potuit, quamuis uiuus in manus uenerit. quippe dum circa adprehendendum eum a multitudine contenditur, inter rixantium manus praeda lacerata est.

VIII. BELLVM SPARTACIVM.

III, 20 Enimuero et seruilium armorum dedecus feras, nam etsi per fortunam in omnia obnoxii, tamen quasi secundum hominum genus sunt et in bona libertatis nostrae adoptantur: bellum Spartaco duce concitatum quo nomine appellem nescio. quippe cum serui militauerint, gladiatores imperauerint, illi infimae sortis homines, hi pessumae auxere ludibriis calamitatem Romanam.

Spartacus Crixus Oenomaus effracto Lentuli ludo cum triginta haut amplius eiusdem fortunae uiris erupere Capuam; seruisque ad uexillum uocatis cum statim decem amplius milia coissent, homines modo effugisse contenti iam et uindicari uolebant. prima sedes uelut beluis mons Vesuuius placuit. ibi cum obsiderentur a Clodio Glabro, per fauces caui montis uitineis delapsi uinculis ad imas eius descendere radices et exitu inuiso nihil tale opinantis ducis subito impetu castra rapuerunt; inde Vareniana castra, deinceps Thorani; totamque peruagantur Campaniam, nec uillarum adque uicorum uastatione contenti Nolam atque Nuceriam, Thurios atque Metapontum terribili strage populantur. adfluentibus in diem copiis cum iam esset iustus exercitus, e uiminibus pecudumque tegumentis inconditos sibi cli-

2 uiuus *om N* ‖ manibus *B* ‖ ad deprehendendum cum multitudo contendit *N* ‖ 5 SPARTACVM *BN* ‖ 6 et *om N* ‖ nam et ipsi per *N* ‖ 9 apellem *B* ‖ 10 seruili^{beri} *B* ‖ impetrauerint *N* ‖ 11 pessimam *N* ‖ ludibrio *N* ‖ Romanam *om N* ‖ 13 spartagus frixus *B* ‖ 14 haut *Gruterus:* aut *BN* ‖ capua *N* ‖ 15 ad auxilium *B*, ad uexilium ad auxilium *N* ‖ uocantis *N* ‖ milia amplius *B* ‖ 16 non modo *N* ‖ et *om N* ‖ 17 prima uelut ara uiris mons *N* ‖ beluis *Seebodius:* bellus *B* ‖ uaesuuius *B*, uesubius *N* ‖ 18 glarione *B* ‖ per — uitineis *om B* ‖ 19 dilapsi ungulis *B* ‖ summas *B* ‖ inuiso *Pighius Herculis Prodicii p* 169: indiuiso *B*, inuiso *N* 20 opinantes *B* ‖ inde alia castra uareniana castra, deinceps thorani *B*, inde alia castra deinceps horam *N* ‖ 22 nolan *B* ‖ 23 thauros *B*, turios *N* ‖ 24 essent *b* ‖ 25 clypeos *N* ‖

peos et ferro ergastulorum recocto gladios ac tela fecerunt. ac ne quod decus iusto deesset exercitui, domitis obuiis etiam gregibus paratur equitatus, captaque de praetoribus insignia et fasces ad ducem detulere. nec abnuit ille de stipendiario Thrace miles, de milite desertor, de desertore latro, deinde in honore uirium gladiator. quin defunctorum quoque proelio ducum funera imperatorum celebrauit exequiis, captiuosque circa rogum iussit armis depugnare, quasi plane expiaturus omne praeteritum dedecus, si de gladiatore munerarius bustum fecisset. inde iam consularem quoque adgressus in Appenino Lentuli exercitum cecidit, apud Mutinam Publi Cassi castra deleuit. quibus elatus uictoriis de inuadenda urbe Roma — quod satis est turpitudini nostrae — deliberauit. tandem enim totis imperii uiribus contra myrmillonem consurgunt, pudoremque Romanum Licinius Crassus adseruit; a quo pulsi fugatique — pudet dicere — hostes in extrema Italiae refugerunt. ibi circa Brittium angulum clusi, cum fugam in Siciliam pararent neque nauigia suppeterent, ratesque ex cratibus et dolea conexa uirgultis rapidissimo freto frustra experirentur, tandem eruptione facta digna uiris obiere morte et, quod sub gladiatore duce oportuit, sine missione pugnatum est. Spartacus ipse in primo agmine fortissime dimicans quasi imperator occisus est.

VIIII. BELLVM CIVILE MARIANVM.

Hoc deerat unum populi Romani malis, ut iam ipse intra se par- III, 21
ricidale bellum domi stringeret, et in urbe media ac foro quasi harena ciues cum ciuibus suis gladiatorio more concurrerent. aequiore animo utcumque ferrem, si plebei duces aut, si nobiles, mali saltem ducatum sceleri praebuissent. tum uero — pro faci-

2 dedecus *B* ‖ etiam *om N* ‖ 3 parantur *B* ‖ 5 de desertore latro *Mommsenius:* de latro *B*, deinde latro *N* ‖ 6 quin *Freinshemius:* quia *B*, qui *N* ‖ 7 imperatoriis *N* ‖ 8 depugnaret *B* ‖ 9 munerator *N* ‖ bustum fecisset *scripsi:* tum fuisset *B*, fuisset *N* ‖ 10 consulares *N* ‖ appennino *N* ‖ 11 percaecidit *N* ‖ gai cassi *N* ‖ 12 romana *BN* ‖ 13 etiam *N* ‖ 14 consurgitur *N* ‖ 16 bruttium *B* ‖ fusi *B* ‖ 18 trabibus *B* ‖ dolia *B* ‖ in rapidissimo *N* ‖ 19 experiretur *B* ‖ dignam — mortem *N* ‖ 21 spartagus *B* ‖ acmine *B* ‖ 24 iam ut *N* ‖ 25 telum *Freinshemius* ‖ 26 arena *B* ‖ 28 malis *N* ‖ cum *N* ‖

nus! — qui uiri! qui imperatores! decora et ornamenta saeculi sui, Marius et Sulla, pessimo facinori suam etiam dignitatem praebuerunt.

Bellum ciuile Marianum siue Sullanum tribus, ut sic dixerim, sideribus agitatum est. primum leui et modico tumultu maiore quam bello, intra ipsos dumtaxat armorum duces subsistente saeuitia; mox atrocius et cruentius per ipsius uiscera senatus grassante uictoria; ultimo non ciuicam modo, sed hostilem quoque rabiem supergressum est, cum armorum furor totius Italiae uiribus niteretur, eo usque odiis saeuientibus peractum est, donec deessent, qui occiderentur.

Initium et causa belli inexplebilis honorum Marii fames, dum decretam Sullae prouinciam Sulpicia lege sollicitat. sed inpatiens iniuriae statim Sulla legiones circumegit, dilatoque Mithridate Esquilina Collinaque porta geminum agmen urbi infudit. inde cum consules Sulpicius et Albinouanus obiecissent cateruas suas, et saxa undique a moenibus ac tela iacerentur, ipse quoque iaculatus incendia uiam fecit arcemque Capitolii, quae Poenos, quae Gallos etiam Senonas euaserat, quasi captiuam uictor insedit. tum ex consulto senatus aduersariis hostibus iudicatis in praesentem tribunum aliosque diuersae factionis iure saeuitum est; Marium seruilis fuga exemit, immo fortuna alteri bello reseruauit.

Cornelio Cinna Gneo Octauio consulibus male obrutum resurrexit incendium, et quidem ab ipsorum discordia, cum de reuocandis quos senatus hostes iudicauerat ad populum referretur; cincta quidem gladiis contione, sed uincentibus quibus pax et quies potior, profugus patria sua Cinna confugit ad partes. rediit ab Africa Marius clade maior; si quidem carcer catenae fuga exilium horrificauerant dignitatem. itaque ad nomen

2 sylla *BN* ‖ 4 sillanum *BN* ‖ 5 primo et leui *N* ‖ 6 ipso *N* ‖ dumtaxat *om N* ‖ 7 totius *N* ‖ 8 crassante *BN* ‖ ultimum *N* ‖ ciuica *N* ‖ 9 est *deleuerim* ‖ 10 niterentur *B* ‖ peractum est *om N* ‖ 13 syllae *BN* ‖ 14 sylla *BN* ‖ 15 esquilina ς: ** (sy 2 *manu*) lla *B*, escilia *N* ‖ 16 infundit *N* ‖ unde cum consulto *N* ‖ consoles *b* ‖ 17 sudeas *N* ‖ 18 iacolatus *N* ‖ incendia *Hauptius:* incendio *BN* ‖ 19 poenas *B* ‖ quae *scripsi:* quoque *BN* ‖ senones *N* ‖ 20 tum ς: cum *BN* ‖ abuersariis *B* ‖ 21 iudicatis *om B* ‖ 22 eximit *N* ‖ 23 reseruabit ‖ 25 quam *B* ‖ 27 contentione *B* ‖ 29 redit *N* ‖

tanti uiri late concurritur, seruitia — pro nefas! — et ergastula armantur, et facile inuenit exercitum imperator. itaque ui patriam reposcens, unde ui fuerat expulsus, poterat uideri iure agere, nisi causam suam saeuitia corrumperet. sed cum dis hominibusque infestus rediret, statim primo impetu cliens et alumna urbis Ostia nefanda strage diripitur. mox in urbem quadruplici agmine intratur. diuisere copias Cinna Marius Carbo Sertorius. hic postquam manus omnis Octaui depulsa Ianiculo est, statim ad principum caedem signo dato aliquanto saeuius quam uel in Punica urbe saeuitur. Octaui consulis caput pro rostris exponitur, Antonii consularis in Mari ipsius mensis. Caesares a Fimbria in penatibus domuum suarum trucidantur, Crassi pater et filius in mutuo alter alterius aspectu. Baebium atque Numitorium per medium forum unci traxere carnificum. Catulus se ignis haustu ludibrio hostium exemit. Merula flamen Dialis in Capitolio Iouis ipsius oculos uenarum cruore respersit. Ancharius ipso uidente Mario confossus est, quia fatalem illam scilicet manum non porrexerat salutanti. haec tot senatus funera intra kalendas et idus Ianuarii mensis septima illa Marii purpura dedit. quid futurum fuit, si annum consulatus implesset?

Scipione Norbanoque consulibus tertius ille turbo ciuilis insaniae toto furore detonuit; quippe cum hinc octo legiones, quingentae cohortes starent in armis, inde ab Asia cum uictore exercitu Sulla properaret. et sane cum tam ferus in Sullanos Marius fuisset, quanta saeuitia opus erat ut Sulla de Mario uindicaretur? primo aput Capuam sub amne Vulturno signa concurrunt, et statim Norbani fusus exercitus, statim Scipionis copiae ostentata spe pacis oppressae. tum Marius iuuenis et Carbo consules, quasi desperata uictoria ne inulti perirent, in

2 exercitum miser imperator *N* || 4 diis *B* || 6 urbis urbs hostia *B* || quadriplici *N* || 9 principium *B* || 10 uel *scripsi:* ut *B*, aut *N* || orbe *B* || punica aut in cimbrica urbe *N* || 12 Caesares a Fimbria *Graeuius:* caesare fimbria *B*, caesar et fimbria *N* || penetralibus *Graeuius* || domuum *scripsi:* domu[s] *B*, domorum *N* || 13 nutuo *B* || 14 numitorum *N* || 19 calendas *N* || septimam *B* || 20 consularis *N* || 21 norbano quinto coss *N* || 22 legiones inde quingentae *BN* || 24 sylla *BN* || in sillanos *B*, insulanos *N* || 25 marios *N* || sylla *B* || 26 primum *N* || statim omnis *BN*, omnis *del Halmius* || 28 obpressae *N* || 29 *post* perirent *sequuntur in N, quae supra p* 46, 7 — *p* 54, 16 *omissa erant* ||

antecessum sanguine senatus sibi parentabant, obsessaque curia sic de senatu quasi de carcere qui iugularentur educti. quantum funerum in foro, in circo, in penetralibus templis? nam Mucius Scaeuola pontifex Vestalis amplexus aras tantum non eodem igne sepelitur. Lamponius atque Telesinus, Samnitum duces, atrocius Pyrrho et Annibale Campaniam Etruriamque populantur, et sub specie partium se uindicant. apud Sacriportum Collinamque portam debellatae omnes hostium copiae; ibi Marius, hic Telesinus oppressi. nec idem tamen caedium qui belli finis fuit. stricti enim et in pace gladii, animaduersumque in eos, qui se sponte dediderant. minus est, quod aput Sacriportum, aput Collinam septuaginta amplius milia Sulla concidit: bellum erat. quattuor milia deditorum inermium ciuium in uilla publica interfici iussit: isti tot in pace non plures sunt? quis autem illos potest conputare, quos in urbe passim quisquis uoluit occidit? donec admonente Fufidio, uiuere aliquos debere, ut essent quibus imperaret, proposita est ingens illa tabula, et ex ipso equestris ordinis flore ac senatu duo milia electi, qui mori iuberentur: noui generis edictum. longum post haec referre ludibrio habita fata Carbonis, fata Sorani, Plaetorios atque Venuleios, Baebium sine ferro ritu ferarum inter manus lancinatum, Marium, ducis ipsius fratrem, aput Catuli sepulcrum oculis effossis, manibus cruribusque effractis seruatum aliquandiu, ut per singula membra moreretur. possis singulorum hominum ferre poenas: municipia Italiae splendidissima sub hasta uenierunt Spoletium Interamnium Praeneste Florentia. nam Sulmonem, uetus oppidum socium atque amicum — facinus indig-

2 quantum id funerum *B*, quid *N* ‖ 3 id circo *B* ‖ penetralibus *scripsi:* penitentibus *B*, patentibus *N* ‖ nam cum mucius *N* ‖ mutius *B* ‖ 4 uestales *N* ‖ 5 sepellitur *B* ‖ lucius amponius *B* ‖ 6 eturiamque *B* ‖ 7 specie parium parium se uindicando *B* ‖ uindicant nec apud *N* ‖ 9 ne *B* ‖ bello *B* ‖ 10 et *om B* ‖ 11 sponte me dediderant *B* ‖ 12 milia amplius *B* ‖ sylla *B* ‖ 13 milium *B* ‖ 16 Fufidio *Dukerus:* forfidio *B*, furfidio *N* ‖ aliquo *B* ‖ 17 imperarent *N* ‖ 18 sequestri *N* ‖ ac — electi *om B* ‖ 19 edictum piget post *N* ‖ ferre *B* ‖ 20 abita *N* ‖ facta *bis B* ‖ plaetorius *B*, praetorios *N* ‖ uenuleius *B* ‖ 21 laniatum *B* ‖ 23 effossis *om N* ‖ defossis *N* ‖ aliquamdiu et *N* ‖ 24 positis *N* ‖ 25 fere poenis *N* ‖ asta *BN* ‖ 26 interranium *B* ‖ florentiã *B* ‖ nam *del in B 2 manu* ‖ sulmone *N* ‖

num — non expugnat aut obsidet iure belli; sed quo modo morte damnati duci iubentur, sic damnatam ciuitatem iussit Sulla deleri.

X. BELLVM SERTORIANVM.

Bellum Sertorianum quid amplius quam Sullanae proscriptionis III, 22
hereditas fuit? hostile potius an ciuile dixerim nescio; quippe quod Lusitani Celtiberique Romano gesserint duce. exul et profugus feralis illius tabulae, uir summae quidem sed calamitosae uirtutis malis suis maria terrasque permiscuit; et iam Africae, iam Balearibus insulis fortunam expertus usque in Oceanum fortunatasque insulas penetrauit consiliis, tandem Hispaniam armauit. uiro cum uiris facile conuenit. nec alias magis apparuit Hispani militis uigor quam Romano duce. quamquam ille non contentus Hispania ad Mithridatem quoque Ponticosque respexit regemque classe iuuit. et quid futurum fuit satis tanto hosti, cui uno imperatore resistere res Romana non potuit? additus Metello Gneus Pompeius. [hi copias adtriuerant uiri] diu et ancipiti semper acie pugnatum est; nec tamen prius bello quam suorum scelere et insidiis extinctus est. copias eius prope tota Hispania persecuti [diu et uaria semper acie] domauerunt. prima per legatos habita certamina, cum hinc Domitius et Thorius, inde Hirtulei proluderent; mox his aput Segouiam, illis apud Anam flumen oppressis, ipsi duces comminus inuicem experti apud Lauronem atque Sucronem aequauere clades. tum illis ad populationes agrorum, his ad urbium excidia conuersis, misera inter Romanos duces Hispania discordiae poenas dabat; donec oppresso domestica fraude Sertorio, uicto deditoque Perperna, ipsae quoque in Romanam fidem uenere urbes Osca

1 nondum N || expugnatam ut obsides N || et modo morte N || 3 sylla B || 5 quid aliud quam N || sillanae B || 7 exsul N || 9 etiam B || 10 baliaribus N || missusque in oceanum N || 11 consiliis *om* N || 15 perrexit B || 16 cui *om* N || 17 hi copias uiri diu at ancipitis semper aciae adtribuere nec tamen prius bello quam suorum scelere et insidiis extinctus copias eius prope tota hispania persecuti diu et ancipiti semper acie domauerunt N. *dittographia aperta est, restitutio loci incerta* || 21 hinc domicius ethorius N || 22 hirtuleius B || 25 a populatione sacrorum B, ad populationem agrorum N ||

Termeste Vlia Valentia Auxuma et in fame nihil non experta Calagurris. sic recepta in pacem Hispania. uictores duces externum id magis quam ciuile bellum uideri uoluerunt, ut triumpharent.

XI. BELLVM CIVILE SVB LEPIDO.

III, 23 Marco Lepido Quinto Catulo consulibus ciuile bellum paene citius oppressum est quam inciperet. sed quantulacumque fax illius motus ab ipso Sullae rogo exarsit? cupidus rerum nouarum per insolentiam Lepidus acta tanti uiri rescindere parabat; nec inmerito, si tamen posset sine magna clade rei publicae. nam cum iure belli Sulla dictator proscripsisset inimicos, qui supererant reuocante Lepido quid aliud quam ad bellum uocabantur? cumque damnatorum ciuium bona addicente Sulla quamuis male capta iure tamen tenerentur, repetitio eorum procul dubio labefactabat compositae ciuitatis statum. expediebat ergo quasi aegrae sauciaeque rei publicae quiescere quomodocumque, ne uolnera curatione ipsa rescinderentur. ergo cum turbidis contionibus uelut classico ciuitatem terruisset, profectus in Etruriam arma inde et exercitum urbi admouebat. sed iam Muluium pontem collemque Ianiculum Lutatius Catulus Gneusque Pompeius, Sullanae dominationis duces atque signiferi, alio exercitu insederant. a quibus primo statim impetu retro pulsus hostisque a senatu iudicatus incruenta fuga Etruriam, inde Sardiniam recessit, ibique morbo et paenitentia interiit. uictores quoque, quod non temerealias in ciuilibus bellis, partis contenti fuerunt.

1 Termeste Vlia *scripsi:* tergaest cum *B*, termestudia *N* ‖ auxume *B* ‖ 2 in *om B* ‖ pace *B* ‖ hispanie *b* ‖ 7 quantum lateque fax *N* ‖ 8 sillae *B* ‖ cupidus namque rerum *N* ‖ 9 acta *om B* ‖ res rescindere *B* ‖ 11 sylla *B* ‖ 12 aliut *N* ‖ 13 silla *B* ‖ 14 capita *N* ‖ tenerentur *addidi auctore Dukero: om BN* ‖ repetita *B* ‖ 15 compositam ciuitatem *N* ‖ ciuitati *B* ‖ 16 requiescere *N* ‖ ne *om B* ‖ 17 uulnera *B* ‖ cutio ipsa *B* ‖ turbinis *N* ‖ 18 etruria *B* ‖ 19 et *om B* ‖ admouerat *N* ‖ 20 latius *B* ‖ 21 syllanae *BN* ‖ dominationes *B* ‖ insiderant *B* ‖ 22 hostisque senatus *B* ‖ 24 paenitentia pestilentia interiit *N* ‖ quoque *om N* ‖ 25 partis *Mommsenius:* pacis *B*, pace *N* ‖ *post* fuerunt L· ANNEI· FLORI· EPITOMA· DE TITO LIVIO EXPLICIT· LIB· III· JNCIPIT LIB IIII FELICITER *N* ‖

XII. BELLVM CATILINAE.

Catilinam luxuria primum, tum hinc conflata egestas rei fami- IIII, 1
liaris, simul occasio, quod in extremis finibus mundi arma Romana peregrinabantur, in nefaria consilia opprimendae patriae suae conpulere. senatum confodere, consules trucidare, distringere incendiis urbem, diripere aerarium, totam denique rem publicam funditus tollere et quidquid nec Annibal uideretur optasse, quibus — o nefas! — sociis adgressus est! ipse patricius; sed hoc minus est: Curii Porcii Sullae Cethegi Autronii Varguntei atque Longini, quae familiae! quae senatus insignia! Lentulus quoque tum cum maxime praetor. hos omnis inmanissimi facinoris satellites habuit. additum est pignus coniurationis sanguis humanus, quem circumlatum pateris bibere: summum nefas, ni amplius esset, propter quod biberunt. actum erat de pulcherrimo imperio, nisi illa coniuratio in Ciceronem et Antonium consules incidisset, quorum alter industria rem patefecit, alter manu oppressit. tanti sceleris indicium per Fuluiam emersit, uilissimum scortum, sed patriciis innocentius. consul habito senatu in praesentem reum perorauit; sed non amplius profectum, quam ut hostis euaderet seque tum palam ac professe incendium suum restincturum ruina minaretur. et ille quidem ad praeparatum a Manlio in Etruria exercitum proficiscitur signa inlaturus urbi. Lentulus destinatum familiae suae Sibyllinis uersibus regnum sibi uaticinans ad praestitutum a Catilina diem urbe tota uiros faces tela disponit. nec ciuili conspiratione contentus legatos Allobrogum, qui tum forte aderant, in arma sollicitat. isset ultra Alpes furor, nisi altera proditione Volturci praetoris literae tenerentur. statim Ciceronis imperio iniecta est barbaris manus; palam praetor in senatu conuincitur. de supplicio

1 KATILINAE *B*, CATILLINAE *N* ‖ 2 catillinam *N* ‖ cum *B* ‖ conflant *B* ‖ 3 hoccasio *B* ‖ 5 contulere *B* ‖ destringere *B* ‖ 7 ne *B* ‖ 8 obtasse *N* ‖ 9 syllae *BN* ‖ 10 uarcuntei *B* ‖ 11 tunc *N* ‖ praeter *B* ‖ 13 humanum *B* ‖ paperis *N* ‖ 14 ne *B*, nisi *N* ‖ 18 innocens tum consul *N* ‖ 19 senatui *B* ‖ in praesentem parricidam in praesentum reum cicero perorauit *N* ‖ 20 seque cum palam hac professe *B*, seque palam professo *N* ‖ 22 exercitu *B* ‖ 23 sibillinis *B* ‖ 24 uatiginans *N* ‖ catillina *N* ‖ 25 uiro *b*, uiros *B* ‖ fasces *B* ‖ 26 legatos *Halmius:* legatis *N*, om *B* ‖ sollicitat. isset *Halmius:* sollicitatis sed *B*, sollicitatis isset *N* ‖

agentibus, Caesar parcendum dignitati, Cato animaduertendum pro scelere censebant. quam sententiam secutis omnibus in carcere parricidae strangulantur. quamuis parte coniurationis oppressa, tamen ab incepto Catilina non destitit; infestis ab Etruria signis patriam petens obuio Antonii exercitu opprimitur. quam atrociter dimicatum sit, exitus docuit. nemo hostium bello superfuit; quem quis in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat. Catilina longe a suis inter hostium cadauera repertus est, pulcherrima morte, si pro patria sic concidisset.

XIII. BELLVM CIVILE CAESARIS ET POMPEI.

IIII, 2 Iam toto orbe paene pacato maius erat imperium Romanum, quam ut ullis exteris uiribus opprimi posset. itaque inuidens fortuna principi gentium populo ipsum illum in exitium sui armauit. ac Mariana quidem Cinnanaque rabies iam intra urbem praeluserat, quasi si experiretur. Sullana tempestas latius, intra Italiam tamen detonuerat. Caesaris furor atque Pompei urbem Italiam gentes nationes, totum qua patebat imperium quodam quasi diluuio et inflammatione corripuit, adeo ut non recte tantum ciuile dicatur, ac ne sociale quidem, sed nec externum, sed potius commune quoddam ex omnibus et plus quam bellum. quippe si duces eius inspicias, totus senatus in partibus; si exercitus, hinc undecim legiones, inde decem et octo, flos omnis et robur Italici sanguinis; si auxilia sociorum, hinc Gallici Germanique dilectus, inde Deiotarus Ariobarzanes Tarcondimotus Cotys et Rhascypolis, omne Thraciae Cappadociae Macedoniae Ciliciae Graeciae totiusque robur orientis; si moram belli, quattuor

1 animaduertentum *N* ‖ 3 quam suis *B* ‖ 4 catillina *N* ‖ sed infestis *N* ‖ 5 antonio *B* ‖ 7 quam *B* ‖ eum *N* ‖ 8 catillina *N* ‖ 9 pulcherrima *om B* ‖ si sic pro patria si concidisset *B* ‖ 11 CIVILE *om N* ‖ 12 paene toto orbe *N* ‖ peracto *scripserim* ‖ 13 illis externis *N* ‖ 14 exitum *b* ‖ suum *N* ‖ 15 iam *om N* ‖ 16 praeluserat *Gruterus:* praecluserat *BN* ‖ si *om N* ‖ sillana *B*, syllana *N* ‖ 18 totumque potibat *B*, totum denique qua patebat *N* ‖ 20 sed ne *B* ‖ 24 romanique *B* ‖ 25 delectus *B* ‖ deiottarus *B* ‖ tarchondimotus eo intus omnes trhaciae *N* ‖ 26 thascypolis *B, om N* ‖ cappadociaeque ciliciae macedoniae *N* ‖ macedoniaeque *B* ‖ 27 graeciac italiae totiusque *N* ‖

anni, set pro clade rerum breues; si locum et spatium, commissum est intra Italiam, inde se in Galliam Hispaniamque deflexit reuersumque ab occasu totis uiribus in Epiro Thessaliaque consedit, hinc in Aegyptum subito transiluit, inde respexit Asiam, Africae incubuit, postremo in Hispaniam regyrauit et ibi aliquando defecit. sed non et odia partium finita cum bello. non enim prius quieuerunt, quam in ipsa urbe medio senatu eorum, qui uicti erant, odia uictoris se caede satiarent.

Causa tantae calamitatis eadem quae omnium, nimia felicitas. si quidem Quinto Metello Lucio Afranio consulibus cum Romana maiestas toto orbe polleret recentesque uictorias, Ponticos et Armenios triumphos in Pompeianis theatris Roma cantaret, nimia Pompei potentia aput otiosos, ut solet, ciues mouit inuidiam. Metellus ob inminutum Cretae triumphum, Cato aduersus potentes semper obliquus detrectare Pompeio actisque eius obstrepere. hic dolor transuersum egit et ad praesidia dignitati paranda inpulit. forte tunc Crassus genere diuitiis dignitate florebat, ut uellet tamen auctioris opes; C. Caesar eloquentia et spiritu, ecce iam et consulatu adleuabatur; Pompeius tamen inter utrumque eminebat. sic igitur Caesare dignitatem conparare, Crasso augere, Pompeio retinere cupientibus omnibusque pariter potentiae cupidis de inuadenda re publica facile conuenit. ergo cum mutuis uiribus in suum quisque decus niterentur, Galliam Caesar inuadit, Crassus Asiam, Pompeius Hispaniam: tres maximi exercitus, et in his orbis imperium societate trium principum occupatur. decem annos traxit ista dominatio ex fide, quia mutuo metu tenebantur. Crassi morte apud Parthos et morte Iuliae Caesaris filiae, quae nupta Pompeio generi socerique concordiam matrimonii foedere continebat, statim aemulatio erupit. iam Pompeio suspectae Caesaris opes et Caesari Pom-

1 annis sed *B* ‖ breues *Halmius:* breue *B*, breue tempus *N* ‖ spatium ubi commissum *BN*? *em Perizonius* ‖ 2 hisspaniamque *B* ‖ 3 occasum *B* ‖ 4 hinc *om B* ‖ aegypton *N* ‖ 5 hispania regnauit *B* ‖ 7 urbe ipsa *N* ‖ 8 sese *N* ‖ 9 causae *N* ‖ eademque omnium *BN* ‖ 10 africano *B* ‖ 12 armoenios *B* ‖ 13 mouet *B* ‖ 15 petentes *B* ‖ oblicus *N* ‖ pompeium *N* ‖ 16 hinc *N* ‖ transuorsum *N* ‖ 18 ut *add Mommsenius: om BN* ‖ auctiores *N* ‖ g. *N* ‖ 20 super *N* ‖ hunc *Heinsius* ‖ 25 maximos *N* ‖ et iam sic orbis *N* ‖ 26 dominatio exinde quoniam *N* ‖ 27 et *om B* ‖ 29 tenebat *N* ‖

peiana dignitas grauis. nec ille ferebat parem, nec hic superiorem. pro nefas! sic de principatu laborabant, tamquam duos tanti imperii fortuna non caperet. ergo Lentulo Marcelloque consulibus rupta primo coniurationis fides. de successione Caesaris senatus, id est Pompeius agitabat, nec ille abnuebat, si ratio sui proximis comitiis haberetur. ut daretur consulatus absenti, quem decem tribuni fauente Pompeio nuper decreuerant, dissimulante eodem negabatur: ueniret et peteret more maiorum. ille contra flagitare decreta, ac, nisi fides permaneret, non remittere exercitum. ergo ut in hostem decernitur. his Caesar agitatus statuit praemia armorum armis defendere.

Prima ciuilis belli harena Italia fuit, cuius arces leuibus praesidiis Pompeius insederat; sed omnia subito Caesaris impetu oppressa sunt. prima Arimino signa cecinerunt. tum pulsus Etruria Libo, Vmbria Thermus, Domitius Corfinio. et peractum erat bellum sine sanguine, si Pompeium Brundisii opprimere potuisset. et ceperat; sed ille per obsessi claustra portus nocturna fuga euasit. turpe dictu. modo princeps patrum, pacis bellique moderator per triumphatum a se mare lacera et paene inermi naui fugiebat. nec Pompei ab Italia quam senatus ab urbe fuga turpior. quam paene uacuam metu Caesar ingressus consulem se ipse fecit. aerarium quoque sanctum, quod quia tardius aperiebant tribuni iussit effringi, censum et patrimonium populi Romani ante rapuit quam imperium.

Pulso fugatoque Pompeio maluit prius ordinare prouincias quam ipsum sequi. Siciliam et Sardiniam, annonae pignera, per legatos habet. nihil hostile erat in Gallia; pacem ipse fecerat. sed ad Hispanienses Pompei exercitus transeunti per eam duci portas claudere ausa Massilia est. misera dum cupit pacem, belli metu in bellum incidit; sed quia tuta muris erat, uinci eam sibi

1 ne hic — nec ille *N* ‖ 2 pro *om N* ‖ 4 primo *scripsi:* prima *BN* ‖ fide *N* ‖ 6 ut daretur *om N* ‖ 7 tribus *N* ‖ cumde simulante *N* ‖ 8 uenisset *B* ‖ maiorum more *N* ‖ 9 nisi in fide permanerent non se remittere *N* ‖ 12 arena *B* ‖ 15 orfinio *B* ‖ perhactum *B* ‖ 18 dictum *N* ‖ 20 pompeius *N* ‖ 21 fuga turpior *Gruterus:* fugatur pior *B*, fugatur prior *N* ‖ 22 facit *N* ‖ 23 censum *Mommsenius:* censumque *BN* ‖ 25 prouintias *N* ‖ 26 pignora *N* ‖ 28 sed *om N* ‖ 29 clausere *N* ‖ 30 tutis *N* ‖

iussit absenti. Graecula ciuitas non pro mollitia nominis et uallum rumpere et incendere machinas ausa, etiam congredi nauibus; sed Brutus, cui mandatum erat bellum, uictos terra marique perdomuit. mox dedentibus se omnia ablata praeter quam potiorem omnibus habebant libertatem.

Anceps uariumque sed incruentum in Hispania bellum cum legatis Gnei Pompei, Petreio et Afranio, quos Ilerdae castra habentes aput Sicorim amnem obsidere et ab oppido intercludere adgreditur. interim abundatio uerni fluminis commeatibus prohibebat: sic fame castra temptata sunt, obsessorque ipse quasi obsidebatur. sed ubi pax fluminis rediit, populationibus et pugnae campos aperuit, iterum ferox instat et cedentes ad Celtiberiam consecutus aggere et uallo et per haec siti ad deditionem conpulit. sic citerior Hispania recepta est, nec ulterior moram fecit. quid enim una post quinque legiones? itaque ultro cedente Varrone Gades fretum Oceanus, omnia felicitatem Caesaris sequebantur.

Aliquid tamen aduersus absentem ducem ausa Fortuna est circa Illyricam et Africam oram, quasi de industria prospera eius aduersis radiaret. quippe cum fauces Adriani maris iussi occupare Dolabella et Antonius, ille Illyrico, hic Curictico litore castra posuissent iam maria late tenente Pompeio, repente legatus eius Octauius Libo ingentibus copiis classicorum utrumque circumuenit. deditionem fames extorsit Antonio. missae quoque a Basilo in auxilium eius rates, quales inopia nauium fecerant, noua Pompeianorum arte Cilicum actis sub mari funibus captae quasi per indaginem. duas tamen aestus explicuit. una, quae Opiterginos ferebat, in uadis haesit memorandumque posteris exemplum dedit. quippe uix mille iuuenum manus circumfusi undique exercitus per totum diem tela sustinuit, et cum

1 abenti *N* ‖ sed uallum *B* ‖ 2 iam *om N* ‖ 4 sese ablata omnia *N* ‖ abbata *B* ‖ 6 et cruentum *N* ‖ 7 africanio *b* ‖ 8 sicorin *N* ‖ opsidere *N* ‖ 9 habundatio *B*, abundantione *N* ‖ comeatibus *B* ‖ prohibet *N* ‖ 11 obsedebatur *B* ‖ redit *N* ‖ pabulationibus *Lipsius* ‖ pugna *B* ‖ 12 a *B* ‖ celteueriam *b*, celtiueriam *B* ‖ 14 contulit *B* ‖ 16 oceanis *B* ‖ 19 Illyricam *Hauptius:* illirium *B*, illyricum *N* ‖ Africam oram *Hauptius:* africam moranti *B*, africam *N* ‖ 20 radiaret *b*, radiarent *B*, radiarentur *N* ‖ iussit *B* ‖ 21 syretico *B* ‖ 23 genibus copiis *B* ‖ 25 a Basilo *Aldus:* ab latio *B*, a blasio *N* ‖ 26 fecerat *N* ‖ mare *b* ‖ 29 exemplum *Freinshemius:* exitum *IN* ‖

exitum uirtus non haberet, tandem ne in deditionem ueniret hortante tribuno Vulteio mutuis ictibus inter se concurrit. in Africa quoque par et uirtus et calamitas Curionis fuit, qui ad recipiendam prouinciam missus pulso fugatoque Varo superbus subitum Iubae regis aduentum equitatumque Maurorum sustinere non potuit. patebat uicto fuga; sed pudor suasit, ut amissum sua temeritate exercitum morte sequeretur.

Sed iam debitum par Fortuna flagitante sedem bello Pompeius Epiron elegerat, nec Caesar morabatur. quippe ordinatis a tergo omnibus, quamuis hiemps media prohiberet tempestate, ad bellum nauigauit positisque ad Oricum castris, cum pars exercitus ob inopiam nauium cum Antonio relicta Brundisii moram faceret, adeo inpatiens erat ut ad arcessendos eos ardente uentis mari, nocte concubia, speculatorio nauigio solus ire temptauerit. extat ad trepidum tanto discrimine gubernatorem uox ipsius 'Caesarem uehis.' contractis in unum undique omnibus copiis positisque comminus castris diuersa erant ducum consilia. Caesar pro natura ferox et conficiendae rei cupidus ostentare aciem, prouocare lacessere; nunc obsidione castrorum, quae sedecim milium uallo obduxerat — sed quid his obesset obsidio, qui patente mari omnibus copiis abundarent? nunc expugnatione Dyrrachi inrita, quippe quam uel situs inexpugnabilem faceret; ad hoc adsiduis in eruptione hostium proeliis, quo tempore egregia uirtus Scaeuolae centurionis emicuit, cuius in scuto centum atque uiginti tela sedere; iam uero urbium direptione sociarum cum Oricum et Gonphos et alia castella Thessaliae uastaret. Pompeius aduersus haec nectere moras, tergiuersari, sic hostem interclusum undique inopia commeatuum terere, usque dum ardentissimi ducis consenesceret impetus. nec diutius profuit ducis salutare consilium. miles otium, socii moram, principes

1 tandem *scripsi:* tamen BI ‖ ortante N ‖ 2 in se concucurrit N ‖ 4 uarro B ‖ iam superbus N ‖ 7 mortis B ‖ 9 epyron B ‖ moratur N ‖ 10 prohiberet media *Halmius* ‖ 11 dorrycum N ‖ 12 brundisio N ‖ 13 accersendos N ‖ 14 mare BN ‖ 15 exta trepidum N ‖ 16 ipsius quid times caesarem ueis N ‖ 18 hostentaret b ‖ 19 non obsidione B ‖ 20 obduxerant B ‖ is B ‖ 22 dyrrhaci B ‖ quam uis situs B ‖ 23 asiduis inruptione B ‖ 24 scutum N ‖ 26 gomphos N ‖ atia N ‖ castella *om* B ‖ thesaliae B ‖ uastarent N ‖ 27 necterre B ‖ tergiuersari simul ut hostem N ‖ 28 comeatuum B ‖ terreret utque ardentissimi N ‖ 30 duci N ‖

ambitum ducis increpabant. sic praecipitantibus fatis proelio sumpta Thessalia est, et Philippicis campis urbis imperii generis humani fata commissa sunt. numquam ullo loco tantum uirium populi Romani, tantum dignitatis Fortuna respexit: trecenta amplius milia hinc uel illinc praeter auxilia, reges et senatum. numquam imminentis ruinae manifestiora prodigia: fuga uictimarum, examina in signis, interdiu tenebrae. dux ipse in nocturna imagine plausu theatri sui in modum planctus circumsonatus et mane cum pullo pallio — nefas — aput principia conspectus est. numquam acrior neque alacrior exercitus Caesaris fuit; inde classica prius, inde tela. adnotatum quoque committentis aciem Crastini pilum, qui mox adacto in os gladio, sic inter cadauera repertus est: libidinem ac rabiem qua pugnauerat ipsa nouitate uolneris praeferebat. sed nec minus admirabilior illius exitus belli. quippe cum Pompeius adeo equitum copia abundaret ut facile circumuenturus sibi Caesarem uideretur, circumuentus ipse est. nam cum diu aequo Marte contenderent, iussuque Pompei fisus sibi a cornu erupisset equitatus, repente hinc signo dato Germanorum cohortes tantum in effusos equites fecere impetum ut illi esse pedites, hi uenire in equis uiderentur. hanc stragem fugientis equitatus leuis armaturae ruina comitata est, tunc terrore latius dato, turbantibus inuicem copiis, reliqua strages quasi una manu facta est; nec ulla res magis exitio fuit quam ipsa exercitus magnitudo. multus in eo proelio Caesar fuit mediusque inter imperatorem et militem. uoces quoque obequitantis acceptae, altera cruenta, sed docta et ad uictoriam efficax 'miles faciem feri!' altera ad iactationem conposita 'parce ciuibus!' cum ipse sequeretur felicem utcumque in malis Pom-

2 thesalia *B* || orbis *B* || 4 fortuna uidit *N* || 5 hinc belli illinc *N* || hinc uel illinc *post* auxilia *ponit Mommsenius* || regum et senatus *N* || 7 examinū *B* || ipse et nocturna *N* || 8 plausu theatri sui *Mommsenius:* plausum theatri sui audiens *B*, thaeatri sui audiens plausum *N* || circumsonat et *N* || 9 pallio *om* *N* || 12 adhacto in hoc gladio *B* || 13 est *om* *N* || hac *B* || 14 nouitates uulneris *B* || 15 ullius *B* || 16 habundaret *B* || 17 contenderet *N* || 18 fisus sibi *scripsi:* fisus sui *B*, fusus *N* || 20 facere *B* || essent *B* || illi uenire *B* || 21 equitatus *om* *B* || 22 errore *B* || 25 uocis *B* || 26 obequitantis *N 2 manu:* obequitatis *BN* || excepte *N* || 27 iactationem *N 2 manu:* iatatonem *B*, iectationem *N* || 28 utcuque *B* ||

peium, si eadem ipsum quae exercitum eius fortuna traxisset. superstes dignitatis suae uixit, ut cum maiore dedecore per Thessalica Tempe equo fugeret, ut una nauicula Lesbon applicaretur, ut Syedris in deserto Ciliciae scopulo fugam in Parthos Africam uel Aegypton agitaret, ut denique Pelusio litore, imperio uilissimi regis, consiliis spadonum et, ne quid malis deesset, Septimii desertoris sui gladio trucidatus sub oculis uxoris suae liberorumque moreretur.

Quis non peractum esse cum Pompeio crederet? atquin acrius multo atque uehementius Thessalici incendii cineres recaluerunt. et in Aegypto quidem aduersus Caesarem sine partibus bellum. quippe cum Ptolemaeus, rex Alexandriae, summum ciuilis belli scelus peregisset et foedus amicitiae cum Caesare medio Pompei capite sanxisset, ultionem clarissimi uiri manibus quaerente Fortuna causa non defuit. Cleopatra regis soror, adfusa Caesaris genibus partem regni reposcebat. aderat puellae forma, et quae duplicaretur ex illo, quod talis passa uidebatur iniuriam, odium ipsius regis, qui Pompei necem partium fato, non Caesari dederat, haud dubie idem in ipsum ausurus, si fuisset occasio. quam ubi Caesar restitui iussit in regnum, statim ab isdem percussoribus Pompei obsessus in regia quamuis exigua manu ingentis exercitus molem mira uirtute sustinuit. ac primum proximorum aedificiorum atque naualium incendio infestorum hostium tela summouit, mox in paene insulam Pharon subitus euasit; inde depulsus in maria mira felicitate ad proximam classem enatauit, relicto quidem in fluctibus paludamento seu fato seu consilio, ut illud ingruentibus hostium telis saxisque peteretur. tunc receptus a classicis suis, undique simul hostes adortus de inbelli ac perfida gente iusta generi manibus

2 ut *om* *N* ‖ 3 applicaretur ut *Halmius:* applicarentur et *B*, applicaretur *N* ‖ 4 Syedris *Salmasius:* hedris *B*, pulsus hedris *N* ‖ 5 aegyptum *B* ‖ in pelusio *N* ‖ 6 deesset *Halmius:* desit *BN* ‖ 9 crederet bellum *N* ‖ adquin *N* ‖ 12 ptolomeus *B* ‖ 13 peregisset foedusque *N* ‖ 14 ultionem quae manibus clarissimi uiri omnibus quaerente fortunae *B* ‖ 17 formae *B* ‖ 18 Pompei necem *scripsi:* pompeium regem *B*, pompeio aedem *N* ‖ 19 idem *om* *B* ‖ si fuisset occasio *Mommsenius:* si ruisset hoccasio *B*, si expedisset *N* ‖ 21 hisdem *B* ‖ quamquis *N* ‖ exigui *b* ‖ 22 hac *B* ‖ 23 atque naualium *om* *B* ‖ 24 peninsulam *B* ‖ faron *N* ‖ 27 ut *om* *B* ‖ incruentibus *B* ‖ 27 facto *b* ‖ 28 tum *N* ‖ 29 hac *B* ‖

dedit. quippe et Theodotus magister auctorque totius belli, et ne uirilia quidem portenta Pothinus atque Ganymedes diuersa per mare et terras fuga morte consumpti. regis ipsius corpus obrutum limo repertum est in aureae loricae honore.

In Asia quoque nouus rerum motus a Ponto, quasi de industria captante fortuna hunc Mithridatico regno exitum, ut a Pompeio pater, a Caesare filius uinceretur. rex Pharnaces magis discordiae nostrae fiducia quam suae uirtutis infesto in Cappadociam agmine ruebat. sed hunc Caesar adgressus uno et, ut sic dixerim, non toto proelio obtriuit more fulminis, quod uno eodemque momento uenit percussit abscessit. nec uana de se praedicatio est Caesaris, ante hostem uictum esse quam uisum.

Sic cum exteris, at in Africa cum ciuibus multo atrocius quam in Pharsalia. hic reliquias partium naufragarum quidam fugae aestus expulerat; nec reliquias diceres, sed integrum bellum. sparsae magis quam oppressae uires erant; auxerat sacramentum ipsa clades imperatoris, nec degenerabat ducum successio. quippe satis ample sonabant in Pompeiani nominis locum Cato et Scipio. accessit copiis Mauretaniae rex Iuba, uidelicet ut latius uinceret Caesar. nihil ergo inter Pharsaliam et Thapson, nisi quod amplior*; eoque acrior Caesarianorum impetus fuit, indignantium post Pompeium creuisse bellum; denique, quod alias numquam, ante imperium ducis sua sponte signa cecinerunt. et primum strages a Iuba coepit, cuius elephanti bellorum rudes et nuper a silua consternati subito clangore lituorum in suos sese circumegere. statim exercitus in fugam, nec duces fortius quam ut effugerent. non inconspicua tamen mors omnium. iam Scipio naue fugiebat; sed adsecutis hostibus gladium per uiscera exegit et, ubi esset quodam requirente, respondit hoc ipsum 'bene se habet imperator.' Iuba cum se

2 ganimedes *B* ‖ 3 et morte *N* ‖ 5 mortus ac sponte quasi *B* ‖ ponto plane quasi *N* ‖ 6 ut pompeio *B* ‖ 8 fiduciae *B* ‖ uirtutis suae *N* ‖ 9 ruiebat *N* ‖ 11 abcessit *N* ‖ nec una *B* ‖ 12 uictum hostem *N* ‖ 13 ad *N* ‖ 14 huc *N* ‖ reliquas *B* ‖ quidam furoris aestus *N* ‖ 18 qui ipse *B* ‖ sonabat *B* ‖ 19 moretanie *B* ‖ 20 tapson *N* ‖ 21 caesareanorum *B* ‖ 24 et primum *om N* ‖ iuua *N* ‖ eius *N* ‖ 26 lituorum — circumegere *om N* ‖ sese *Seebodius:* esse *B* ‖ statim et exercitus *N* ‖ 27 et duces *N* ‖ 28 morte *N* ‖ hostis *B* ‖ 29 exigit *B* ‖

recepisset in regiam, magnifice epulatus est postero die cum Petreio fugae comite superque mensas et pocula interficiendum se ei praebuit. ille et regi suffecit et sibi, cum interim semesi in medio cibi et parentalia fercula regio simul Romanoque sanguine madebant. Cato non interfuit bello. positis aput Bagradam castris Vticam uelut altera Africae claustra seruabat. sed accepta partium clade nihil cunctatus est et, ut sapiente dignum erat, mortem sibi etiam laetus acciuit. nam postquam filium comitesque ab amplexu dimisit, in noctem lecto ad lucernam Platonis libro qui inmortalitatem animae docet, paulum quieti dedit; tunc circa primam uigiliam stricto gladio reuelatum pectus semel iterumque percussit. ausi post hoc uirum medici uiolare fomentis. ille passus, dum abscederent, rescidit plagas secutaque ui sanguinis moribundas manus in ipso uolnere reliquit, quod ipse bis fecerat.

Quasi numquam esset dimicatum, sic arma rursus et partes, quantoque Africa supra Thessaliam fuit, tanto Africam superabat Hispania. plurimum quantum fauoris partibus dabat fraternitas ducum et pro uno duos stare Pompeios. itaque nusquam atrocius nec tam ancipiti Marte concursum est. primum in ipso ostio Oceani Varus Didiusque legati conflixere. sed acrius fuit cum ipso mari quam inter se nauibus bellum; siquidem quasi furorem ciuium castigaret Oceanus utramque classem naufragio cecidit. quinam ille horror, cum eodem tempore fluctus procellae uiri naues armamenta confligerent! adde situs ipsius formidinem, uergentia in unum, hinc Hispaniae, inde Mauritaniae litora, mare et intestinum et externum inminentesque Herculis speculas, cum omnia undique simul proelio et tempestate saeuirent. mox circa obsidionem urbium utrimque discursum est, quae miserae inter hos atque illos duces societatis Romanae

1 regia *B* ‖ est *om N* ‖ 3 sufficit *N* ‖ semensi *N* ‖ 4 ciui *N* ‖ pericula quae regio *B* ‖ 5 positisque *N* ‖ 6 ueluti *B* ‖ africae castra *B* ‖ 7 est et *scripsi:* est *B*, *om N* ‖ 8 sibi *om N* ‖ 9 filius *B* ‖ nocte *N* ‖ 11 quieuit tum *N* ‖ strictio gadio *N* ‖ reuelatum manu peccatus *N* ‖ 14 uis *N* ‖ uulnere *B* ‖ reliquid *N* ‖ 15 quod — fecerat *om N* ‖ 16 quasi non esset usquam dimicatum *N* ‖ 17 thesaliam *B* ‖ 19 duo *N* ‖ 21 hostio *B* ‖ ocaani *b* ‖ uarius *B* ‖ 22 uelut furorem ciuicum *N* ‖ 23 classe *B* ‖ 24 fluctibus *B*, fructus *N* ‖ 25 arma et armenta *B* ‖ adesituus *N* ‖ 26 urgentia *B* ‖ inispaniae *B* ‖ moritaniae *b* ‖ 27 esternum *B* ‖ 28 et *om B* ‖ 29 obsidiones *N* ‖ 30 romae *B* ‖

poenas dabant. omnium postrema certaminum Munda. hic non pro cetera felicitate, sed anceps et diu triste proelium, ut plane uideretur nescio quid deliberare Fortuna. sane et ipse ante aciem maestior non ex more Caesar, siue respectu fragilitatis humanae, siue nimiam prosperorum suspectam habens continuationem, uel eadem timens, postquam idem esse coeperat quod Pompeius; et in ipso proelio, quod nemo umquam meminerat, cum diu pari Marte acies nihil amplius quam occiderent, in medio ardore pugnantium subito ingens inter utrosque silentium, quasi conuenisset et hic omnium sensus esset 'quo usque bellum?' nouissime inusitatum Caesaris oculis nefas: post quattuordecim annos probata ueteranorum manus gradum retro dedit, quos, etsi nondum fugerant, apparuit tamen pudore magis quam uirtute resistere. itaque ille ablegato equo similis furenti primam in aciem procurrit. ibi prensare fugientis, confirmare signiferos, orare hortari, per totum denique agmen oculis manibus clamore uolitare. dicitur in illa perturbatione et de extremis agitasse secum manifestoque uoltu fuisse, quasi occupare mortem manu uellet; nisi cohortes hostium quinque per transuersam aciem actae, quas Labienus periclitantibus castris praesidio miserat, speciem fugae praebuissent. hoc aut et ipse credidit aut dux callidus arripuit in occasionem, et quasi in fugientes et iam uictos simul et suorum erexit animos et hostis perculit. nam et hi, dum se putant uincere, fortius sequi, et Pompeiani, dum fugere credunt suos, fugere coeperunt. quanta fuerit in hostibus caedendis ira rabiesque uictoribus, sic aestimari potest, quod a proelio profugi cum se Mundam recepissent, et Caesar obsideri statim uictos imperasset, congestis cadaueribus agger effectus

3 liberare *B* ‖ 4 caesaris sue *B* ‖ respectum *B*, respectus *N* ‖ 7 et *scripsi:* sed *BN* ‖ 8 nihil aliud quam *N* ‖ 10 et hic *Mommsenius:* in hic *B*, hic *N* ‖ erat *N* ‖ bellum *Mommsenius:* illum *B* ‖ quo usque bellum *om N* ‖ 11 inusitatum illud *N* ‖ 12 quod *N* ‖ 13 fugerant *Heinsius:* fugerat *BN* ‖ apparebat *N* ‖ 14 ille *om N* ‖ 15 fugientes *N* ‖ signiferos orare hortari *om N* ‖ 17 secum et ita manifesto uoltu *N* ‖ 18 uultu *B* ‖ 19 nisi quod cohortes *BN*, quod *om* ς ‖ 20 pariclitantibus *B* ‖ 21 autem *B* ‖ 22 attribuit *N* ‖ quasi fugientem *N* ‖ iam uictos *scripsi:* inuictos *B*, inuectus *N* ‖ 23 nam hi *N* ‖ 24 sequi in pompeiani *N* ‖ 25 in *addidi: om BN* ‖ hostium caedes *N* ‖ 26 caedentis *b* ‖ aestimare *b* ‖ posset *B* ‖ hoc a proelio *N* ‖ 27 munda *N* ‖ 28 uictor *B* ‖

est, quae lanceis tragulisque confixa inter se tenebantur, — foedum etiam in barbaros. sed uidelicet uictoriam desperantibus Pompei liberis, Gneum proelio profugum, crure saucium, deserta et auia tenentem Caesonius aput Lauronem oppidum consecutus, pugnantem [adeo nondum desperabat] interfecit; Sextum fortuna in Celtiberia interim abscondit aliisque post Caesarem bellis seruauit.

Caesar in patriam uictor inuehitur, primum de Gallia triumphum trahens; hic erat Rhenus et Rhodanus et ex auro captiuus Oceanus. altera laurus Aegyptia; tunc in ferculis Nilus Arsinoe et ad simulacrum ignium ardens Pharos. tertius de Pharnace currus et Ponto. quartus Iubam et Mauretaniam et bis subactam ostendebat Hispaniam. Pharsalia et Thapsos et Munda nusquam; et quanto maiora erant, de quibus non triumphabat!

Hic aliquando finis armis fuit; reliqua pax incruenta pensatumque clementia bellum. nemo caesus imperio praeter Afranium (satis ignouerat semel) et Faustum Sullam (docuerat generos timere Pompeius) filiamque Pompei et paruulos ex Sulla (hic posteris cauebatur). itaque non ingratis ciuibus omnes in principem congesti honores, circa templa imagines, in theatro distincta radiis corona, suggestus in curia, fastigium in domo, mensis in caelo, ad hoc pater ipse patriae perpetuusque dictator, nouissime, dubium an ipso uolente, oblata pro rostris ab Antonio consule regni insignia. quae omnia uelut infulae in destinatam morti uictimam congerebantur. quippe clementiam principis uicit inuidia, grauisque erat liberis ipsa beneficiorum potentia. nec diutius dilata coniuratio est, sed Brutus et Cassius aliique patres consensere in caedem principis. quanta uis fati!

1 lanceis *scripsi:* plaustris *B*, pilis *N* || iaculisque *N* || 3 cruore *B* || saucio *N* || 4 auium *B* || tentem *b*, petentem *N* || 5 interficit *N* || 6 sextum in celti fortuna in celtiberiam *N* || 7 reseruauit *N* || 9 triumphum transmiserat rhenus *N* || 11 pharus *N* || 12 farnace *N* || cursus *N* || mauros *N* || 13 hostendebat *B* || pharsaliam *B* || tharsos *N* || 14 nusquam *om B* || 15 triumphabant *B* || 18 syllam *B* || didicerat generosum timere filiaque *N* || 19 cum patruolis exsulla *N*, et paruulus exylla *B* || 20 omnes usum in *N* || 21 inmagines *B* || 24 uolente *om B* || 26 mortui *B* || 28 dilata coniuratio *Halmius:* dilata dominatio *B*, uilatio donata *N* || 29 patricii *N* ||

manauerat late coniuratio, libellus etiam Caesari datus eodem die, nec perlitare centum uictimis potuerat. uenit in curiam tamen expeditionem Parthicam meditans. ibi in curuli sedentem eum senatus inuasit, tribusque et uiginti uolneribus ad terram datus est. sic ille, qui terrarum orbem ciuili sanguine impleuerat, tandem ipse sanguine suo curiam impleuit.

XIIII. RES SVB CAESARE AVGVSTO.

Populus Romanus Caesare et Pompeio trucidatis redisse in sta- IIII, 3
tum pristinum libertatis uidebatur. et redierat, nisi aut Pompeius liberos aut Caesar heredem reliquisset, uel, quod utroque perniciosius fuit, si non collega quondam, mox aemulus Caesarianae potentiae, fax et turbo sequentis saeculi superfuisset Antonius. quippe dum Sextus paterna repetit, trepidatum toto mari; dum Octauius mortem patris ulciscitur, iterum fuit mouenda Thessalia; dum Antonius uario ingenio aut successorem Caesaris indignatur Octauium aut amore Cleopatrae desciscit in reginam ** aliter saluus esse non potuit, nisi confugisset ad seruitutem. gratulandum tamen ut in tanta perturbatione est, quod potissimum ad Octauium Caesarem Augustum summa rerum rediit, qui sapientia sua adque sollertia perculsum undique ac perturbatum ordinauit imperii corpus, quod haut dubie numquam coire et consentire potuisset, nisi unius praesidis nutu quasi anima et mente regeretur. Marco Antonio Publio Dolabella consulibus imperium Romanum iam ad Caesarem transferente fortuna uarius et multiplex ciuitatis motus fuit. quodque in annua caeli conuersione fieri solet, ut mota sidera tonent ac suos flexus tempestate significent, sic tum Romanae dominationis id est humani generis conuersione penitus intremuit omni-

3 curulis *N* || 4 uulneribus *B* || at *B* || 5 illi *N* || 7 CAESAR AVGVSTVS *N* || 9 pristinae *N* || ad pompei *B* || 11 caesareanae potentiam *B* || 15 uarius *N* || 16 amorem *N* || 17 reginam *scripsi:* regem nam *BN* || *lacunam uidit Halmius* || 18 ut *om N* || 19 potissimmum *B* || 20 redit *B* || solertia *N* || hac *B* || 21 quod itaut dubie *N* || 23 mentem *B* || 24 caesares *N* || transferentem *B* || 25 motis *B* || 26 conuersatione *B* || 27 cum *N* || 28 humane *b* || conuersatione *B* ||

que genere discriminum, ciuilibus externis seruilibus terrestribus ac naualibus bellis omne imperii corpus agitatum est.

XV. BELLVM MVTINENSE.

IIII, 4 Prima ciuilium motuum causa testamentum Caesaris fuit, cuius secundus heres Antonius, praelatum sibi Octauium furens, inexpiabile contra adoptionem acerrimi iuuenis susceperat bellum. quippe cum intra octauum decimum annum tenerum et obnoxium et opportunum iniuriae iuuenem uideret, ipse plenae ex commilitio Caesaris dignitatis lacerare furtis hereditatem, ipsum insectari probris, cunctis artibus cooptationem Iuliae gentis inhibere, denique ad opprimendum iuuenem palam arma moliri, et iam parato exercitu in Cisalpina Gallia resistentem motibus suis Decimum Brutum obsidere. at Octauius Caesar, et aetate et iniuria fauorabilis, et nominis maiestate quod sibi induerat reuocatis ad arma ueteranis, priuatus — quis crederet? — consulem adgreditur, obsidione Mutinae liberat Brutum, Antonium exuit castris. tunc quidem etiam manu pulcher apparuit. nam cruentus et saucius aquilam a moriente signifero traditam suis umeris in castra referebat.

XVI. BELLVM PERVSINVM.

IIII, 5 Alterum bellum concitauit agrorum diuisio, quod Caesar ueteranis patris pretium militiae soluerat. semper alias Antonii pessimum ingenium Fuluia tum gladio cincta uirilis militiae uxor agitabat. ergo depulsos agris colonos incitando iterum arma cierat. hic uero iam non priuatis, sed totius senatus suf-

1 externis seruilibus *om* N || 7 decem et octo annos N || et obnoxium *del Hauptius* || 8 oportunum BN || is plenae B || 9 laceraret furtis hereditatem N, lacerare uiri fortis et heredem et hereditatem B || 11 inhibere non desineret denique N || depremendum N || 13 obsidere. at *scripsi:* obsiderat B, obsidebat N || 14 faborabilis B || magestate B || 15 credere B || 16 obsidio N || 17 tum N || 18 aboriente B || 19 humeris B || 21 quos N || 22 patris B*:* in castris N || persoluebat N || 23 tum *Mommsenius:* ut B, *om* N || 25 arma cierat *Hauptius:* in arma ierat N, in arma reuocauerat B || non *om* B ||

fragiis iudicatum hostem Caesar adgressus intra Perusiae muros redegit conpulitque ad extrema deditionis turpi et nihil non experta fame.

TRIVMVIRATVS.

Cum solus etiam grauis paci, grauis rei publicae esset Antonius, IIII, 6
quasi ignis incendio Lepidus accessit. ** cui contra duos consules, duos exercitus necesse fuit uenire in cruentissimi foederis societatem. diuersa omnium uota ut ingenia. Lepidum diuitiarum cupido, quarum spes erat ex perturbatione rei publicae, Antonium ultionis de his qui se hostem iudicassent, Caesarem inultus pater et manibus eius graues Cassius et Brutus agitabant. in hoc uelut foedus pax inter tres duces conponitur. apud Confluentes inter Perusiam et Bononiam iungunt manus et exercitus consalutant. nullo bono more triumuiratus inuaditur, oppressaque armis re publica redit Sullana proscriptio, cuius atrocitas nihil in se minus habet quam numerum centum et quadraginta senatorum. exitus foedi truces miserabiles toto terrarum orbe fugientium. quis pro indignitate ingemiscat, cum Antonius Lucium Caesarem auunculum suum, Lepidus Lucium Paulum fratrem suum proscripserint? nam Romae capita caesorum proponere in rostris iam usitatum erat; uerum sic quoque ciuitas lacrimas tenere non potuit, cum recisum Ciceronis caput in illis suis rostris uideret nec aliter ad uidendum eum quam solebat ad audiendum concurreretur. haec scelera in Antonii Lepidique tabulis; Caesar percussoribus patris contentus fuit ideo ne, si inulta fuisset, etiam iusta eius caedes haberetur.

2 redigit *B* || 5 grauis paci *om B* || 6 cui *B:* quid *N*, Caesarique uni *Hauptius* || contra duo exercitus *N* || 8 uota incendia *N* || 9 erat *om N* || turbatione *N* || 10 ultionem *B* || eis *N* || 11 inuitus peteret manibus *N* || 13 perusiam *N*, Petrusiam *Maluasia marm Felsin IIII*, 2 *p* 146, Mutinam *edd uett*, *Borghesius apud Rocchium delle lodi del canonico L Nardi p* 29 || 15 syllana *B* || 16 nihil insignius *Mommsenius* || et *om N* || 18 pro quibus quis pro dignitate rei *N* || ingemescat *BN* || 20 suum fratrem *N* || nam *om N* || romana *B* || censorum *N* || 22 lacrimis *B* || 23 uideretur *N* || 25 contestus *B* || fuit his quoque nisi inulta *N* || 26 eius *om N* ||

XVII. BELLVM CASSI ET BRVTI.

IIII, 7 Brutus et Cassius sic Caesarem quasi Tarquinium regem depulisse regno uidebantur, set libertatem, quam maxime restitutam uoluerunt, illo ipso parricidio perdiderunt. igitur caede perfecta cum ueteranos Caesaris, nec inmerito, timerent, statim e curia in Capitolium confugerant. nec illis ad ultionem deerat animus, sed ducem nondum habebant. igitur cum appareret, quae strages rei publicae inmineret, displicuit ultio, cum caedes inprobaretur. igitur Ciceronis consiliis abolitione decreta, ne tamen publici doloris oculos ferirent, in prouincias ab illo ipso quem occiderant Caesare datas, Syriam et Macedoniam concesserant. sic uindicta Caesaris dilata potius quam oppressa est.

Igitur iam ordinata magis ut poterat quam ut debebat inter triumuiros re publica, relicto ad urbis praesidium Lepido, Caesar cum Antonio in Cassium Brutumque succingitur. illi comparatis ingentibus copiis eandem illam, quae fatalis Gneo Pompeio fuit, harenam insederant. sed nec tum inminentia destinatae cladis latuerunt. nam et signis insedit examen et adsuetae cadauerum pabulo uolucres castra quasi iam sua circumuolabant, et in aciem prodeuntibus obuius Aethiops nimis aperte ferale signum fuit. ipsique Bruto per noctem, cum inlato lumine ex more aliqua secum agitaret, atra quaedam imago se obtulit et, quae esset interrogata, 'tuus' inquit 'malus genius,' ac sub oculis mirantis euanuit. pari in meliora praesagio in Caesaris castris omnia aues uictimaeque promiserant. sed nihil illo praestantius, quod Caesaris medicus somnio admonitus est, ut Caesar castris excederet, quibus capi imminebat; ut factum est. acie namque commissa cum pari ardore aliquandiu dimicatum foret, et,

2 g. caesarem *N* || depulisset *B* || 3 uidebatur *B* || sel *b*, sed *BN* || 5 e *om N* || 7 appereret *N* || 8 cum consulis abolicione *N* || 10 sperrent *N* || 13 iam *om N* || quam uidebat in triumuiros res publica *N* || 17 nec tot *B* || 18 cladis destinatae signa latuerunt *N* || et — examen *om N* || 19 castra *om B* || 20 et *om N* || ouius *N* || aethiope *B* || 22 optulit *N* || 23 qua *B* || inquid *B* || ac sub *Hauptius:* hoc sub *B*, hoc et sub *N* || 24 mirantes *b* || praesagia *b* || 25 praesentius *N* || 26 omnino *N* || est *add* ς*:* *om BN* || 28 et *add* ς*:* *om BN* ||

quamuis duces inde praesentes adessent, hinc alterum corporis aegritudo, illum metus et ignauia subduxissent, staret tamen pro partibus inuicta fortuna et ultoris et qui uindicabatur, proelium adeo anceps fuit ut par utrimque discrimen exitus proelii docuerit: capta sunt hinc Caesaris castra, inde Cassi. en quanto efficacior est fortuna quam uirtus! et quam uerum est, quod moriens Brutus efflauit, non in re, sed in uerbo tantum esse uirtutem! uictoriam illi proelio error dedit. Cassius inclinato cornu suorum cum captis Caesaris castris rapido impetu recipientes se equites uideret, fugere abitratus euadit in tumulum. inde puluere et strepitu, etiam nocte uicina eximentibus gestae rei sensum, cum speculator quoque in id missus tardius nuntiaret, transactum de partibus ratus uni ex proximis auferendum praebuit caput. Brutus cum in Cassio etiam suum animum perdidisset, ne quid ex constituti fide resignaret (ita enim non superesse bello conuenerat), ipse quoque uni comitum suorum confodiendum praebuit latus. quis sapientissimos ac fortissimos uiros non miretur ad ultimum non suis manibus usos? nisi hoc quoque ex persuasione sectae fuit, ne uiolarent manus, sed in amolitione fortissimarum piissimarumque animarum iudicio suo, scelere alieno uterentur.

XVIII. BELLVM CVM SEXTO POMPEIO.

Sublatis percussoribus Caesaris supererat Pompei domus. alter IIII, 8 iuuenum in Hispania occiderat, alter fuga euaserat contractisque infelicis belli reliquiis, cum insuper ergastula armasset, Siciliam Sardiniamque habebat. iam et classe medium mare insederat, o quam diuersus a patre! ille Cilicas extinexerat;

1 quamuis deinde praesentes *N* ‖ 2 starent *bN* ‖ 3 proelium *scripsi:* primum *BN* ‖ 4 ut *om N* ‖ utrimque ς*:* utrumque *BN* ‖ ut exitus *N* ‖ 5 docuerit *scripsi:* docuit *BN* ‖ classi *B* ‖ en *Halmius:* et *B*, sed *N* ‖ 6 uerum est et quod *B* ‖ 7 Brutus *addidi Tollio auctore: om BN* ‖ effrauit *N* ‖ sed et in *N* ‖ 8 errore *B* ‖ 12 enuntiaret *N* ‖ 13 ratum *N* ‖ 14 capud *B* ‖ 15 enim persuperesse *N* ‖ superesset *B* ‖ 17 hac *B* ‖ ac fortissimos *om N* ‖ 18 nisi si hoc *N* ‖ 19 suasione *B* ‖ persuassione defuit *N* ‖ nec *B* ‖ uielarent *N* ‖ 20 oblitione *N* ‖ sanctissimarum pietatissimarumque *N* ‖ 23 pompeio *N* ‖ 24 in *om N* ‖ hisspania *B* ‖ 25 cui *N* ‖ 27 extinxerat *B* ‖

hic se piratica turba turper Puteolos Formias Vulturnum, totam denique Campaniam Pontias et Aenariam, ipsa Tiberini fluminis ora populatus est. subinde congressus Caesaris naues et incendit et demersit; nec ipse tantum, sed Menas et Menecrates, foeda seruitia, quos classi praefecerat, praedabundi per litora cuncta uolitabant. ob haec tot prospera centum bubus auratis Peloro litauit spirantemque equum cum auro in fretum misit, dona Neptuno, ut se maris rector in suo mari regnare pateretur. eo denique discriminum uentum est ut foedus et pax cum hoste — si modo hostis Pompei filius — tamen feriretur. quantum id, sed breue gaudium fuit, cum in Baiani litoris mole de reditu eius et bonorum restitutione conuenit, cumque inuitante ipso in nauem discubitum est, et ille sortem suam increpitans 'hae sunt' inquit 'carinae meae'. haut incomiter, quod, cum in celeberrima parte urbis Carinis pater eius habitasset, ipsius domus et penates in naui penderent. sed inportunitate Antonii et Pompeianorum bonorum, quorum sector ille fuerat, praeda deuorata possessio manere non poterat: detrectare coepit foederis pactum. itaque itum ad arma rursus, et iam totis imperii uiribus classis in iuuenem conparata est, cuius molitio ipsa magnifica. quippe interciso Herculanae uiae limite refossisque litoribus Lucrinus lacus mutatus in portum eique interrupto medio additus est Auernus, ut in illa aquarum quiete classis exercita imaginem belli naualis agitaret. tanta mole belli petitus in Siculo freto iuuenis oppressus est, magnique famam ducis ad inferos secum tulisset, si nihil temptasset ulterius; nisi quod magnae indolis signum est sperare semper. perditis enim rebus profugit Asiamque uelis petit, uenturus ibi in manus hostium et catenas et,

1 hic se pirata naualis *N* *omissis medus* 1—24 ‖ *fortasse* hic se pirata tuebatur. post Puteolos ‖ tonam *B* ‖ 2 et tenariam *B* ‖ 3 congressas *B* ‖ 4 emersit *B* ‖ mensas *B* ‖ menecratis foedera *b* ‖ 5 praedabundi *Halmius:* praebendi *B* ‖ 7 hoc putabant *post* Neptuno *add B*, *del Hauptius* ‖ 9 ut pax *B* ‖ 11 redditu *B* ‖ 13 inquid *B* ‖ 14 aut *B* ‖ 15 paenates *B* ‖ 16 inportumanes *B* ‖ 17 sector *b:* sectator *B* ‖ praede *B* ‖ 19 itum *Halmius:* inille *B* ‖ et in totis *B* ‖ 23 illaequarum *B* ‖ 25 opraessus *B* ‖ fam *N* ‖ 26 ulterius nihil nisi *N* ‖ 27 perdidisset *N* ‖ progit *N* ‖ 28 uentus *B* ‖ manibus *B* ‖

quod miserrimum est fortibus uiris, ad hostium arbitrium sub percussore moriturus. non alia post Xerxen miserabilior fuga. quippe modo trecentarum quinquaginta nauium dominus cum sex septemue fugiebat extincto praetoriae nauis lumine, anulis in mare abiectis, pauens atque respectans, et tamen non timens nisi ne periret.

XVIIII. BELLVM PARTHICVM SVB VENTIDIO.

Quamuis in Cassio et Bruto partes sustulisset, in Pompeio to- IIII, 9
tum partium nomen aboleuisset, nondum tamen ad pacis stabilitatem profecerat Caesar, cum scopulus et nodus et mora publicae securitatis superesset Antonius. nec ille defuit uitiis quin periret, immo omnia expertus ambitu et luxuria primum hostes, deinde ciues, tandem etiam terram et saeculum liberauit.

Parthi clade Crassiana altius animos erexerant ciuilesque populi Romani discordias laeti acceperant. regi itaque ut prima adfulsit occasio, non dubitauerunt erumpere, ultro quidem inuitante Labieno, qui missus a Cassio Brutoque — qui furor scelerum! — sollicitauerat hostes in auxilium. et illi Pacoro duce, regio iuuene, dispulerant Antoniana praesidia; Saxa legatus ne ueniret in potestatem gladio impetrauit. denique ablata Syria emanabat latius malum, hostibus sub auxilii specie sibi uincentibus, nisi Ventidius, et hic legatus Antonii, incredibili felicitate et Labieni copias ipsumque Pacorum et omnem Parthicum equitatum toto inter Oronten et Euphraten sinu late cecidisset. uiginti amplius milium fuit. nec sine consilio ducis, qui simulato metu adeo passus est hostem castris succedere, donec absumpto iactus spatio adimeret usum sagittarum. rex fortissime dimicans cecidit. mox circumlato eius per urbes, quae

1 sup *B* || 2 xersen *B* || 4 portitoriae *B*, praetorio *N* || 5 rectans *B* || 6 nisi *om N* || 7 PARTKICVM *N* || 8 im *B* || 9 abolesset *N* || 10 scopolus *B* || 12 ambitus *B* || 13 terram et *Hauptius:* terrae *N*, terrore *B*, terrae orbem *Halmius* || 14 classiana *B* || 15 populus romanus *B* || regi *om N* || 16 et erumpere *BN* || 17 brutique *B* || qui feros *B* || 18 pagoro *N* || 19 disputant *N* || 20 nec *B* || gladio ς: claudio *B*, a claudio *N* || 22 hic *N* || 23 parthicum et qui tantum totum *B* ||

desciuerant, capite Syria sine bello recepta. sic Crassianam cladem Pacori caede pensauimus.

XX. BELLVM PARTHICVM SVB ANTONIO.

IIII, 10 Expertis inuicem Parthis atque Romanis, cum Crassus et Pacorus utrimque uirium mutuarum documenta fecissent, pari rursus reuerentia integrata amicitia, et quidem ab ipso foedus Antonio cum rege percussum. sed — inmensa uanitas hominis — dum titulorum cupidine Araxen et Euphraten sub imaginibus suis legi concupiscit, neque causa neque consilio ac ne imaginaria quidem belli indictione, quasi hoc quoque ex arte ducis esset obrepere, relicta repente Syria in Parthos impetum facit. gens praeter armorum fiduciam callida simulat trepidationem et in campos fugam. et hic statim quasi uictor sequebatur, cum subito nec magna hostium manus ex inprouiso et iam in fessos uia sub uespere uelut nimbus erupit. missis undique sagittis duas legiones operuerunt. nihil acciderat in comparationem cladis, quae in posterum diem imminebat, nisi interuenisset deum miseratio. unus ex clade Crassiana Parthico habitu castris adequitat et salute Latine data, cum fidem ipso sermone fecisset, quid immineret edocuit: iam adfuturum cum omnibus copiis regem, irent retro peterentque montes; sic quoque hostem fortasse non defore. atque ita secuta est minor uis hostium quam imminebat; adfuit tamen. deletae reliquae copiae forent, nisi urguentibus telis in modum grandinis quidam forte quasi docti procubuissent in genua milites, et elatis supra capita scutis caesorum speciem praebuissent. tunc Parthus arcus inhibuit. dein rursus cum se Romani extulissent, adeo res miraculo fuit ut non unus ex barbaris miserit uocem 'ite et bene ualete Romani! merito uos uictores fama gentium loquitur, qui Parthorum tela fugistis.'

1 grassianam *B* ‖ 2 pagoriaede *N* ‖ 3 PARTKICVM *N* ‖ 4 pagorus *BN* ‖ 6 ingrata *B* ‖ 9 agne *N* ‖ 12 simulad *B* ‖ 13 et *om N* ‖ 14 in *om B* ‖ 15 et missis *N* ‖ suas *B* ‖ 16 gladiis *N* ‖ 17 eminebat *B* ‖ 19 sermone *om N* ‖ 21 montis *b* ‖ 23 deletaeque *N* ‖ urgentibus *B* ‖ 24 quidem *b*, quadam *N* ‖ 25 super *N* ‖ specie *B* ‖ 26 tum *N* ‖ partus *B* ‖ 27 non *om N* ‖

non minor ex uia postea quam ab hostibus accepta clades. infesta primum siti regio, tum quibusdam salmacidis fluuius infestior, nouissime quae iam ab inualidis et auide hauriebantur noxae etiam dulces fuere. mox et ardores per Armeniam et niues per Cappadociam et utriusque caeli subita mutatio pro pestilentia fuit. sic uix tertia parte de sedecim legionibus reliqua, cum argentum eius passim dolabris concideretur, et subinde inter moras mortem ab gladiatore suo flagitasset egregius imperator, tandem perfugit in Syriam, ubi incredibili quadam mentis uecordia ferocior aliquanto factus est, quasi uicisset, quia euaserat.

XXI. BELLVM CVM ANTONIO ET CLEOPATRA.

Furor Antonii quatenus per ambitum non poterat interire, luxu IIII, 11
et libidine extinctus est. quippe cum post Parthos exosus arma in otio ageret, captus amore Cleopatrae quasi bene gestis rebus in regio se sinu reficiebat. hinc mulier Aegyptia ab ebrio imperatore pretium libidinum Romanum imperium petit; et promisit
I Antonius, quasi facilior esset Partho Romanus. igitur "coepit non sibi dominationem parare, nec tacite; sed patriae nominis togae fascium oblitus totus in monstrum illud ut mente ita animo quoque cultuque desciuerat. aureum in manu baculum, in latere acinaces, purpurea uestis ingentibus obstricta gemmis:
[*I*]diadema deerat, ut regina rex et ipse frueretur." ad primam nouorum motuum famam Caesar a Brundisio traiecerat, ut uenienti bello occurreret, positisque castris in Epiro omne litus Actiacum Leucadiam insulam montemque Leucaten et Ambracii sinus cornua infesta classe succinxerat. nobis quadringentae amplius naues, ducentae minus hostium; sed numerum magnitudo pen-

1 minora *B* ‖ ex aqua *N* ‖ excepta *N* ‖ 2 cum *N* ‖ salmacidae *B* ‖ fluuius — noxae *om B partim in rasura partim in margine restituta, quae maximam partem resecta sunt* ‖ 3 hauriebatur *N* ‖ 4 noxae *b:* noxiae *N* ‖ fiere *N* ‖ 7 et *om B* ‖ 8 ad *B*, a *N* ‖ 10 aliquando *N* ‖ qui *N* ‖ 12 non interiret et luxuellibidie *N* ‖ 13 cum *om N* ‖ cum exosus *N* ‖ 15 haec *N* ‖ 16 pretium — imperium *om B* ‖ 17 felicior *B* ‖ coepit non sibi *om N* ‖ 18 non *om I* ‖ patrae *N* ‖ 19 toiae *N* ‖ totus ut monstrum *N* ‖ illud in mente *B* ‖ 21 in latere I^p: in latus BI^h, ad latus *N* ‖ acinacie *N* ‖ 22 aderat *N* ‖ et *om N* ‖ 24 in epiro castris *N* ‖ omne litus actiacum *om N* ‖ 25 leucadam *B*, laucadam *N* ‖ leucatem *N* ‖ anbracii *B* ‖ 26 intesta *B* ‖ 27 ducentae minus *Titzius:* ducentae non minus *BN* ‖

sabat. quippe a senis in nouenos remorum ordines, ad hoc turribus atque tabulatis adleuatae castellorum uel urbium specie non sine gemitu maris et labore uentorum ferebantur; quae quidem ipsa moles exitio fuit. Caesaris naues a binis remigum in senos nec amplius ordines creuerant; itaque habiles in omnia quae usus posceret, ad impetus et recursus flexusque capiendos, illas graues et ad omnia praepeditas singulas plures adortae missilibus, simul rostris, ad hoc ignibus iactis ad arbitrium dissipauere. nec ulla re magis hostilium copiarum apparuit magnitudo quam post uictoriam. quippe inmensae classis naufragium bello factum toto mari fluitabat, Arabumque et Sabaeorum et mille Asiae gentium spolia purpura auroque inlita adsidue mota uentis maria reuomebant. "prima dux fugae regina cum aurea I
puppe ueloque purpureo in altum dedit. mox secutus Antonius; sed instare uestigiis Caesar. itaque nec praeparata in Oceanum fuga nec munita praesidiis utraque Aegypti cornua, Paraetonium atque Pelusium, profuere: prope manu tenebantur. prior ferrum occupauit Antonius, regina ad pedes Caesaris prouoluta temptauit oculos ducis. frustra quidem; nam pulchritudo infra pudicitiam principis fuit. nec illa de uita, quae offerebatur, sed de parte regni laborabat. quod ubi desperauit a principe seruarique se triumpho uidit, incautiorem nancta custodiam in mausoleum se (sepulchra regum sic uocant) recepit. ibi maximos, ut solebat, induta cultus in referto odoribus solio iuxta suum se conlocauit Antonium, admotisque ad uenas serpentibus sic morte quasi somno soluta est." [I]

IIII, 12 Hic finis armorum ciuilium, reliqua aduersus exteras gentes, quae districto circa mala sua imperio diuersis orbis oris emicabant. noua quippe pax, necdum adsuetae frenis seruitutis

1 denis *B* ‖ ordinibus *N* ‖ 2 et *N* ‖ speciem *B* ‖ 4 a triremibus in senos *N* ‖ 6 poscebat *N* ‖ 7 grauis *N* ‖ adoratae *N* ‖ 8 tum rostris *N* ‖ ad arbitrium *om B* ‖ dissipare *B* ‖ 9 res *B* ‖ 10 inmensa *N* ‖ naufragio belli facto *N* ‖ 11 ferebat *N* ‖ 12 mille aliarum asiae *N* ‖ aurumque in ripam *N* ‖ 13 reuomebant *N a 2 manu:* remouebant *BN* ‖ 14 purporeo *b* ‖ 16 parathonium *N* ‖ 17 pompe *I*[h] ‖ manum *N* ‖ primum *I* ‖ 19 quidem *om N* ‖ infra *I:* intra *BN* ‖ 20 pulchritudinem *B* ‖ auferebatur *I* ‖ 22 set *N* ‖ quidet *B*, cognouit *I* ‖ nacta *B* ‖ måsoleum *B* ‖ in mausoleum regum (regium *I*[P]) se recepit *I* ‖ 23 regem *B* ‖ sic *om B* ‖ recipit *BN* ‖ 24 differto *N* ‖ 26 uicta est *B* ‖ 28 destricto *B* ‖ masa *B* ‖ 29 adsuetae ς*:* adsueta *BN* ‖

tumidae gentium inflataeque ceruices ab inposito nuper iugo resiliebant. ad septentrionem conuersa ferme plaga ferocius agebat, Norici Illyrii Pannonii Delmatae Moesi, Thraces et Daci, Sarmatae atque Germani.

XXII. BELLVM NORICVM.

I Noricis animos Alpes dabant, "quasi in rupes et niues bellum non posset ascendere; sed omnes illius cardinis populos, Breunos Cennos atque Vindelicos, per priuignum suum Claudium Drusum pacauit. quae fuerit Alpinarum gentium feritas, facile est uel per mulieres ostendere, quae deficientibus telis infantes [*I*]suos adflictos humi in ora militum aduersa miserunt."

XXIII. BELLVM ILLYRICVM.

Illyrii quoque sub Alpibus agunt imasque ualles earum et quaedam quasi claustra custodiunt abruptis torrentibus inplicata. in hos expeditionem ipse sumpsit fierique pontes imperauit. hic et aquis et hoste turbantibus cunctanti ad ascensum militi scutum *I* de manu "rapuit et uiam primus ingressus est. tum agmine secuto cum subrutus multitudine pons succidisset, saucius manibus et cruribus, speciosior sanguine et ipso periculo augustior terga hostium percecidit.

3 noricis *N* ‖ misi *B*, mysis *N* ‖ 4 sarmates *N* ‖ 5 BELLVM NORICVM *om N* ‖ 6 dabant alpes *IN* ‖ alpes et in niues *N* ‖ 7 mox omnis *I* ‖ cardines *N* ‖ brennos *BI* ‖ 8 teutonios cennos *I* ‖ scennos *N* ‖ uendilicos *I* ‖ per eundem claudium caesarem romanus uicit exercitus *I* ‖ 9 perpacauit *N* ‖ quae tamen *I* ‖ fuit albidarum *N* ‖ 10 est *om N* ‖ per *om N* ‖ infantes ipsos *N* ‖ 11 humi *I*: humano *N*, *om B* ‖ 12 BELLVM ILLYRICVM *om N* ‖ 13 illirii *B* ‖ 14 inplicati *N* ‖ 15 hic se et *N* ‖ 17 et in uia primus tunc *N* ‖ 18 lubricus multitudine puti succedisset *N* ‖ subruptus *I* ‖ saucius *ς*: sauciis *B*, saucis *N* ‖ 19 ac cruribus *N* ‖ specior *B*, speciosiore *N* ‖ auctior *BI* ‖ 20 cecidit *I* ‖

XXIIII. BELLVM PANNONICVM. *I*

Pannonii duobus acribus fluuiis, Drauo Sauoque uallantur. [*I*] populati proximos intra ripas se recipiebant. in hos domandos Vinnium misit. caesi sunt in utrisque fluminibus. arma uictorum non ex more belli cremata, set capta sunt et in profluentem data, ut Caesaris nomen eis qui resistebant sic nuntiaretur.

XXV. BELLVM DELMATICVM.

Delmatae plerumque sub siluis agebant; unde in latrocinia promptissimi. hos iam pridem Marcius consul incensa urbe Delminio quasi detruncauerat, postea Asinius Pollio gregibus armis agris multauerat, hic secundus orator; sed Augustus perdomandos Vibio mandat, qui efferum genus fodere terras coegit aurumque uenis repurgare; quod alioquin gens omnium cupidissima eo studio, ea diligentia anquirit ut illud in usus suos eruere uideantur.

XXVI. BELLVM MOESICVM.

Moesi quam feri, quam truces fuerint, quam ipsorum etiam barbari barbarorum horribile dictu est. unus ducum ante aciem postulato silentio 'qui uos estis?' inquit. responsum inuicem 'Romani gentium domini.' et ille 'ita' inquit 'fiet, si nos uiceritis.' accepit omen Marcus Crassus. illi statim ante aciem immolato equo concepere uotum, ut caesorum extis ducum et litarent et uescerentur. deos audisse crediderim: nec tubas susti-

1 BELLVM PANNONICVM *om NI* ‖ 2 pannonii uero *I* ‖ duobus saltibus ac tribus fluuiis *N* ‖ 3 domandos *om N* ‖ 4 Duennium *uocat I* ‖ 5 et *om N* ‖ profluente *B*, profluentes *N* ‖ 6 ut ceteris qui resistebant uictoria sic *N* ‖ 7 BELLVM DELMATICVM *om N* ‖ 8 inde *N* ‖ 9 quidem *N* ‖ marcus *B* ‖ consul *om N* ‖ deiminio *B* ‖ 11 et adgustus *B* ‖ 12 uibio *b*, uebio *B*, ubio *N* ‖ 13 genus *B* ‖ cupidissima studiosa *N* ‖ 14 anquirit ς: adquirit *BN* ‖ illut *N* ‖ seruare uideatur *N* ‖ 15 uideãtur *B* ‖ 16 BELLVM MYSICVM *B*, *om N* ‖ 17 mysi *BN* ‖ fuerunt *B* ‖ 18 dictum *N* ‖ 19 inquit estis *N* ‖ 20 illi *N* ‖ inquiet *N* ‖ 21 marcus ς: marcius *BN* ‖ grassus *B* ‖ 22 exitus *B* ‖ 23 tubam *N* ‖

nere potuerunt. non minimum terroris incussit barbaris Comidius centurio satis barbarae, efficacis tamen aput tales homines stoliditatis, qui foculum gerens super cassidem, agitatum motu corporis, flammam uelut ardenti capite funditabat.

XXVII. BELLVM THRACICVM.

Thraces antea saepe et tum maxime Rhoemetalce rege desciuerant. ille barbaros et signis militaribus et disciplina, armis etiam Romanis adsueuerat; set a Pisone perdomiti in ipsa captiuitate rabiem ostendere. quippe cum catenas morsibus temptarent, feritatem suam ipsi puniebant.

XXVIII. BELLVM DACICVM.

Daci montibus inhaerent. inde Cotisonis regis imperio quotiens concretus gelu Danuuius iunxerat ripas decurrere solebant et uicina populari. uisum est Caesari Augusto gentem aditu difficillimam summouere. misso igitur Lentulo ultra ulteriorem perpulit ripam; citra praesidia constituta. sic tum Dacia non uicta, sed summota atque dilata est.

XXVIIII. BELLVM SARMATICVM.

Sarmatae patentibus campis inequitant. et hos per eundem Lentulum prohibere Danuuio satis fuit. nihil praeter niues pruinasque et siluas habent. tanta barbaria est ut nec intellegant pacem.

1 Comidius *Mommsenius:* cornidius *B*, chonidius *N* ‖ 2 aput pares *N* ‖ stoliditates *b*, stodilitatis *N* ‖ 3 cassidem suscitatam motu *N* ‖ 4 fundebat *N* ‖ 5 BELLVM THRACICVM *om N* ‖ 6 ANTEASSEREGṼMAXIME DICITVR DESCIVERANT ILLE *N* ‖ et *addidi: om BN* ‖ rhemetalce *B* ‖ 'tunc tamen romaetalca regnante' *I* ‖ 7 barbarus *N* ‖ 11 BELLVM DACICVM *om N* ‖ 12 inde *om N* ‖ gotisoni *B* ‖ 13 uinxerat *N* ‖ 14 augusto *N:* aug *b*, aut *B* ‖ dificilimam *B* ‖ 15 repulit *N* ‖ 16 constitit *N* ‖ tunc *N* ‖ 17 deleta *B* ‖ 18 BELLVM SARMATICVM *om N* ‖ 19 iacentibus *B* ‖ 20 niues rarasque siluas *N* ‖ 21 ut pacem non intellegant *N* ‖

XXX. BELLVM GERMANICVM.

Germaniam quoque utinam uincere tanti non putasset! magis turpiter amissa est quam gloriose adquisita. set quatenus sciebat patrem suum C. Caesarem bis transuectum ponte Rhenum quaesisse bellum, in illius honorem concupierat facere prouinciam; et factum erat, si barbari tam uitia nostra quam imperia ferre potuissent.

Missus in eam prouinciam Drusus primos domuit Vsipetes, inde Tencteros percurrit et Catthos. nam Marcomannorum spoliis et insignibus quendam editum tumulum in tropaei modum excoluit. inde ualidissimas nationes Cheruscos Suebosque et Sicambros pariter adgressus est, qui uiginti centurionibus in crucem actis hoc uelut sacramento sumpserant bellum, adeo certa uictoriae spe ut praedam ante pactione diuiserint. Cherusci equos, Suebi aurum et argentum, Sicambri captiuos elegerant; sed omnia retrorsum. uictor namque Drusus equos pecora torques eorum ipsosque praedam diuisit et uendidit et praeterea in tutelam prouinciae praesidia atque custodias ubique disposuit per Mosam flumen, per Albin, per Visurgin. in Rheni quidem ripa quinquaginta amplius castella direxit. Bormam et Caesoriacum pontibus iunxit classibusque firmauit. inuisum atque inaccessum in id tempus Hercynium saltum patefecit. ea denique in Germania pax erat, ut mutati homines, alia terra, caelum ipsum mitius molliusque solito uideretur. denique non per adulationem, sed ex meritis, defuncto ibi fortissimo iuuene, ipsi, quod numquam alias, senatus cognomen ex prouincia dedit.

Sed difficilius est prouincias obtinere quam facere; uiribus parantur, iure retinentur. igitur breue id gaudium. quippe

1 BELLVM GERMANICVM *om N* ‖ 2 uinceret *N* ‖ 3 set *b*, et *B* ‖ 4 patroni *B* ‖ C. *om N* ‖ pontem rheno *N* ‖ 5 concupiit *N* ‖ 6 cam uitia *B* ‖ quam imperia *om B* ‖ 8 isipetes *B* ‖ 9 cenceros *B*, ceteros *N* ‖ percucurrit *N* ‖ tactos *N* ‖ marchomannorum *N* ‖ 10 et *om N* ‖ 11 cheruschos *B* ‖ sygambros *N* ‖ 12 incrematis *N* ‖ 13 hactis *B* ‖ certae *B* ‖ 14 uictoria *b*, uictoriae *B* ‖ praedam in anticessum pactione *N* ‖ pactionem diuiserunt *B* ‖ 15 sygambri *N* ‖ 17 praeda *N* ‖ et *om N* ‖ 18 tutellam *B* ‖ 19 pemusam *N* ‖ albium *N* ‖ uisurginam *N* ‖ 20 bonnam *N* ‖ gesogiamcum *N* ‖ 21 uinxit *Böckingius ad notit dign occ p* 973 ‖ 22 inacessum *B*, accessum *N* ‖ 25 sed *om N* ‖ ipse *Perizonius* ‖ 26 alias — Druso *om B*, *in quo post* numquam *noua pagina incipit* ‖ 27 optinere *N* ‖

Germani uicti magis quam domiti erant, moresque nostros magis quam arma sub imperatore Druso suspiciebant; postquam ille defunctus est, Vari Quintilii libidinem ac superbiam haut secus quam saeuitiam odisse coeperunt. ausus ille agere conuentum, et incautius edixerat, quasi uiolentiam barbarorum lictoris uirgis et praeconis uoce posset inhibere. at illi, qui iam pridem robigine obsitos enses inertesque maererent equos, ut primum togas et saeuiora armis iura uiderunt, duce Arminio arma corripiunt; cum interim tanta erat Varo pacis fiducia ut ne prodita quidem per Segesten unum principum coniuratione commoueretur. itaque inprouidum et nihil tale metuentem ex inprouiso adorti, cum ille — o securitas — ad tribunal citaret, undique inuadunt; castra rapiuntur, tres legiones opprimuntur. Varus perditas res eodem quo Cannensem diem Paulus et fato est et animo secutus. nihil illa caede per paludes perque siluas cruentius, nihil insultatione barbarorum intolerabilius, praecipue tamen in causarum patronos. aliis oculos, aliis manus amputabant, uni os obsutum, rescisa prius lingua, quam in manu tenens barbarus 'tandem' ait 'uipera sibilare desisti.' ipsius quoque consulis corpus, quod militum pietas humi abdiderat, effossum. signa et aquilas duas adhuc barbari possident, tertiam signifer prius quam in manus hostium ueniret euolsit mersamque intra baltei sui latebras gerens in cruenta palude sic latuit. hac clade factum est, ut imperium, quod in litore Oceani non steterat, in ripa Rheni fluminis staret.

2 suscipiebant *N* ‖ 3 quintilli *B*, quinti *N* ‖ hac *B* ‖ 5 incautius *Halmius:* incautos *B*, incastos *N* ‖ sedirexerat *N* ‖ uiolentia *B* ‖ e barbarorum *N*, barbarum *B* ‖ litoris *B* ‖ 7 obsitos ς: oblitos *BN* ‖ ererent *N* ‖ 8 armeno *B*, armenio *N* ‖ 9 corripuint *B* ‖ 10 ne prodita quidem *scripsi:* ne perdita quidem aut prodita *B*, ne praedicta quidem et prodita *N* ‖ segentem unius *B* ‖ 11 ex *om N* ‖ 12 inproauso *b* ‖ 13 rapiunt trelegiones *N* ‖ 14 perdicastra *B* ‖ canensem *N* ‖ diem potuisse (patuisse *b*) fassus est ex animo *B* ‖ 16 intolerantius *N* ‖ 18 unius os·sutum *N* ‖ re**a *B*, recisa *a* 2 *manu* ‖ 19 desiste *N* ‖ 20 humani *N* ‖ 21 et barbari *N* ‖ 22 signiferi *N* ‖ im *N* ‖ euulsit *B* ‖ 24 est *om N* ‖ 25 reni *B* ‖

XXXI. BELLVM GAETVLICVM.

Haec ad septentrionem. sub meridiano tumultuatum magis quam bellatum est. Musulamos atque Gaetulos, accolas Syrtium Cosso duce compescuit; unde illi Gaetulici nomen latius quam uictoria. pariter Marmaridas atque Garamantas Quirino subigendos dedit. potuit et ille redire Marmaricus, sed modestior in aestimanda uictoria fuit.

XXXII. BELLVM ARMENICVM.

Ad orientem plus negotii cum Armeniis. huc alterum ex Caesaribus, nepotibus suis, misit. ambo fato breues, set alter inglorius. Massiliae quippe morbo Lucius soluitur, in Syria Gaius ex uolnere occubuit, cum Armeniam ad Parthos se subtrahentem in ius recepit. Armenios uicto rege Tigrane in hoc unum seruitutis genus Pompeius adsueuerat, ut rectores a nobis acciperent. intermissum ergo ius per hunc recuperatum non incruento, nec multo tamen certamine. quippe Dones, quem rex Artagerae ex Parthis praefecerat, simulata proditione adortus uirum intentum libello, quem ut thensaurorum rationes continentem ipse porrexerat, stricto repente ferro subiit. et tunc quidem Caesar recreatus est ex uulnere in tempus, set**. ceterum barbarus undique infesto exercitu oppressus gladio et pyra, in quam se percussum inmisit, superstiti etiam nunc Caesari satisfecit.

1 BELLVM GAETVLICVM *om N* ‖ 3 musalanos *B* ‖ surtium *N* ‖ 4 cossode *B* ‖ gaetulicum eis latius *B* ‖ quam *om N* ‖ pariter *scripsi:* patet *N*, *om B* ‖ 5 XXXII BELLVM MARCOMANNICVM (*uoluit* MARMARICVM) *add B* ‖ marmaricis *B* ‖ gurino *N*, *om B spatio relicto*, Quirinum *uocat I*. Cornelio *Nipperdeius in Schneidewini Philologo I p* 670 ‖ 6 subegendos *B* ‖ potuit *N:* post *B* ‖ Marmaricus *om B spatio relicto* ‖ una estimanda *B* ‖ 8 XXXIII BELLVM ARMENICVM *om N* ‖ 10 uis *B* ‖ 11 massiniae *N* ‖ lucius mormo *N* ‖ 12 uulnere *B* ‖ occubuit *om N* ‖ armenia *B* ‖ subtrahente *B* ‖ 13 in ius *scripsi:* ipsos *B*, *om N* ‖ recipit *N* ‖ armoenios *B* ‖ uictor gentis tigranen *B* ‖ 14 atsueuerat *B*, adseuerat *N* ‖ reciperent *N* ‖ 15 reciperatum *N* ‖ cruento *N* ‖ 16 ulto *B* ‖ donnes *N* ‖ Artagerae ex Parthis *scripsi:* artaxerses parthis *B*, artaxatis *N* ‖ 17 adhortus *B* ‖ utrum *N* ‖ 19 strictosarrecreatus ex uulnere *N* ‖ 20 est uulnere *B* ‖ set *scripsi:* et *B*, *om N* ‖ 21 percussu*summisit *B*, percussusinmisit *N* ‖ 22 etiannum *N* ‖

XXXIII. BELLVM CANTABRICVM ET ASTVRICVM.

Sub occasu pacata erat fere omnis Hispania nisi quam Pyrenaei desinentis scopulis inhaerentem citerior adluebat Oceanus. hic duae ualidissimae gentes, Cantabri et Astures, immunes imperii agitabant. Cantabrorum et prior et acrior et magis pertinax in rebellando animus fuit, qui non contenti libertatem suam defendere proximis etiam imperitare temptabant Vaccaeosque et Turmogos et Autrigonas crebris incursionibus fagitabant. in hos igitur, quia uehementius agere nuntiabantur, non est expeditio mandata, sed sumpta. ipse uenit Segisamam, castra posuit, inde tripertito exercitu totam Cantabriam amplexus efferam gentem ritu ferarum quasi quadam cogebat indagine. nec ab Oceano quies, cum infesta classe ipsa quoque terga hostium caederentur. primum aduersus Cantabros sub moenibus Bergidae proeliatum. hinc statim fuga in eminentissimum Vindium montem, quo maria prius Oceani quam arma Romana ascensura esse crediderant. tertio Aracelium oppidum magna ui repugnat; captum tamen postremo fuit Medulli montis obsidio, quem perpetua decem et octo milium fossa conprehensum undique simul adeunte Romano postquam extrema barbari uident, certatim igne ferro uenenoque, quod ibi uolgo taxeo exprimitur, praecepere mortem, seque pars maior a captiuitate, quae morte grauior ad id tempus indomitis uidebatur, uindicauerunt. haec per Antistium Furniumque legatos et Agrippam hibernans in Tarraconis maritimis Caesar accepit. mox ipse praesens hos deduxit monti-

1 BELLVM CANTABRICVM ET ASTVRICVM *om* *N* ‖ 2 fere erat *N* ‖ hyspania *B* ‖ 3 abluebat *B* ‖ 5 altior *N* ‖ 6 continenti *N* ‖ 7 uaceosque *B* ‖ 8 curmogos *N* ‖ aurigantes *B*, aurigonas *N* ‖ 9 qua *B* ‖ nuntiabatur *B* ‖ non mandata expeditio sed sumpta est *N* ‖ 10 segissamam castram possuit *N* ‖ inde pertito *N* ‖ 11 totam indiem amplexus cantabriam *N* ‖ 12 quasi indagine bellabat *N* ‖ 13 infeta *N* ‖ 14 belgicae *N* ‖ proeliatus *N* ‖ 15 statim *om* *N* ‖ ui*niu *b*, ui*niuium *B*, uinnium *N* ‖ qua *N* ‖ 16 crediderat *N* ‖ 17 aracellum *B*, aracillum *N* ‖ oppugnat *B* ‖ 19 XV *N* ‖ conprehensum cinxit undique *N* ‖ 21 ferro inter epulas uenenoque *N* ‖ uulgo *B* ‖ taxeo exprimitur *scripsi:* ex arboribus taxeo exprimitur *B*, ex arboribus taxeis exprimitur *N* ‖ praecoepere *B*, praecipere *N* ‖ 22 magis *B* ‖ a *om* *B* ‖ quam *B* ‖ morte — indomitis *om* *N* ‖ 23 uenundarunt *B* ‖ antatium *B* ‖ 24 firmumque *B*, firmum *N* ‖ et *om* *N* ‖ terratonis *B*, tarrachonis *N* ‖ 25 mox *om* *N* ‖

bus, hos obsidibus astrinxit, hos sub corona iure belli uenundedit. digna res lauro, digna curru senatui uisa est; sed iam tantus erat Caesar ut triumpho augeri contemneret. Astures per id tempus ingenti agmine a montibus niueis descenderant. nec temere sumptus barbaris uidebatur tum impetus; sed positis castris apud Asturam flumen trifariam diuiso agmine tria simul Romanorum adgredi parant castra. fuissetque anceps et cruentum et ultimum mutua clade certamen cum tam fortibus, tam subito, tam cum consilio uenientibus, nisi Brigaecini prodidissent, a quibus praemonitus Carisius cum exercitu aduenit. pro uictoria fuit oppressisse consilia, sic quoque non incruento certamine. reliquias fusi exercitus ualidissima ciuitas Lancea excepit, ubi cum locis adeo certatum est ut, cum in captam urbem faces poscerentur, aegre dux impetrauerit ueniam, ut uictoriae Romanae stans potius esset quam incensa monumentum.

Hic finis Augusto bellicorum certaminum fuit, idem rebellandi finis Hispaniae. certa mox fides et aeterna pax, cum ipsorum ingenio in pacis artes promptiore, tum consilio Caesaris, qui fiduciam montium timens in quos se recipiebant, castra sua, quia in plano erant, habitare et incolere iussit. ibi gentis esse consilium, illud obseruare caput. fauebat consilio natura regionis. circumcirca omnis aurifera est et chrysocollae miniique et aliorum colorum ferax. itaque exerceri solum iussit. sic Astures ui laten-

1 adstrinxit *N* ‖ succoronatur rebelli *N* ‖ 2 dignas currus *B* ‖ etiam caesar tantus erat *N* ‖ 3 ut triumpho augeri contemneret *scripsi:* augeri contempneret ut triumphos *B*, ut posset triumphos contemnere *N* ‖ idem *N* ‖ 4 montibus suis *N* ‖ 5 sumptus ut barbaris *N* ‖ uidebatur t** *B*, *om* *N* ‖ impes et positis *N* ‖ 6 astaram *B*, scuram *N* ‖ indiuiso *N* ‖ 7 castra adgredi parant *N* ‖ que *om* *N* ‖ 8 ultimum *edd uett:* utinam *BN* ‖ tunc tamen fortibus *N* ‖ tam ς: quam *B*, iam *N* ‖ 9 dricaecini *B*, drigaecini *N* ‖ prouidissent quibus *B* ‖ 10 aduenit oppraessissed consilia *N* ‖ pro *scripsi:* prout *B* ‖ 11 sic quoque *scripsi:* sic tamen quoquo *B*, sic tamen quoque *N* ‖ 12 lancia *N* ‖ excipit *B* ‖ 13 loci *N* ‖ poposcerentur *B* ‖ 14 impetrauerat *N* ‖ uictori *** omanis an potius esse quam incensa *** umentum *B* ‖ 16 augusti belli ciuilium certamin ** fuit *B* ‖ 17 terta *N* ‖ 18 arte *B*, partes *N* ‖ promptior et cum *N* ‖ 19 quo *N* ‖ sua sed quae in *N* ‖ 20 bigentis *N* ‖ 21 consilium ubi illud *B* ‖ obseruari *N* ‖ fauebat *om* *N* ‖ positura *B* ‖ 22 circumcirca *scripsi:* circa cum *B*, circa se *N* ‖ aurifera est *scripsi:* auriferae *B*, aurifera *N* ‖ et chrisocalle miniique *B*, minimeque et chrusocollae *N* ‖ 23 astare *B*, astumres *N* ‖ ui latentes *scripsi:* nitentes *B*, ut latentes *N* ‖

tes in profundo opes suas atque diuitias, dum aliis quaerunt, nosse coeperunt.

XXXIIII. PAX PARTHORVM ET CONSECRATIO AVGVSTI.

Omnibus ad occasum et meridiem pacatis gentibus, ad septentrionem quoque dum taxat intra Rhenum atque Danuuium, item ad orientem intra Cyrum et Euphraten, illi quoque reliqui, qui immunes imperii erant, sentiebant tamen magnitudinem et uictorem gentium populum Romanum reuerebantur. nam et Scythae misere legatos et Sarmatae amicitiam petentes. Seres etiam habitantesque sub ipso sole Indi, cum gemmis et margaritis elephantos quoque inter munera trahentes, nihil magis quam longinquitatem uiae inputabant — quadriennium impleuerant; et iam ipse hominum color ab alio uenire caelo fatebatur. Parthi quoque, quasi uictoriae paeniteret, rapta clade Crassiana signa ultro retulere. sic ubique una atque continua totius generis humani aut pax fuit aut fatigatio, ausus que tandem Caesar Augustus septingentesimo ab urbe condita anno Ianum geminum cludere, bis ante se clusum sub Numa rege et uicta primum Carthagine. hinc conuersus ad pacem pronum in omnia mala et in luxuriam fluens saeculum grauibus seuerisque legibus multis coercuit, ob haec tot facta ingentia dictator perpetuus et pater patriae. tractatum etiam in senatu, an quia condidisset imperium Romulus uocaretur; sed sanctius et reuerentius uisum est nomen Augusti, ut scilicet iam tum, dum colit terras, ipso nomine et titulo consecraretur.

1 profund *B omissis quae sequuntur* || 3 XXXIIII PAX PARTHORVM ET CONSECRATIO AVGVSTI *om N* || 5 ad septentrionem ς: ad *om N* || 7 Cyrum *Salmasius:* ecyrum *N* || 8 uictorem gentium populum romanum ς: uictoriam gentium populi romani *N* || 9 cythae *N* || 12 munerat *N* || 14 iam *Mommsenius:* tamen *N* || 15 paeniteret ς: pertineret *N* || signa *add* ς: *om N* || 16 una *Gronouius:* cuncta *BN* || 17 fatigatio *Hauptius:* fatio *N* || caesar ς: gaius *N* || 18 septingentissimo *N* || 25 colitteras *N* || 26 L· ANNEI· FLORI· EPITOMA· DE TITO LIVIO EXPLICIT· LIBER IIII· FELICITER· *N* ||

NOMINA FLORI.

Achaia 22, 17. 42, 6. 43, 12. 51, 7. 67, 22.
Acilius Glabrio 44, 12.
Actium 113, 24.
Adherbal 58, 1; 4.
Adrianum mare 97, 20. *cf* Hadrianum.
Adriaticum mare 62, 26. *cf* Hadriaticum.
Aeetas 63, 24.
Aegatae insulae 32, 20.
Aegaeum mare 51, 8. 68, 17.
Aegimurus 32, 11.
Aegyptium fretum 68, 16.
Aegyptus 95, 4. 100, 5; 11. 104, 10. 114, 16.
Aemilius Paulus Macedonicus 34, 7. 47, 16; 26. 50, 15.
Aemilius Regillus 44, 19; 21.
Aenaria 110, 2.
Aeneas 6, 17. 7, 3.
Aepulo 45, 23.
Aequi 15, 6.
Aesepus 65, 21.
Aesernia 84, 2.
Aethiops 108, 20.
Actoli 45, 12; 16; 18.
Aetolia 43, 23.
Afranius 83, 17.
L. Afranius 95, 10. 97, 7. 104, 17.
Africa 15, 2. 22, 17. 27, 24. 30, 24; 25. 31, 8. 32, 13. 35, 29. 36, 9. 38, 21. 39, 11. 41, 10; 11; 12; 26; 27; 29. 42, 14. 43, 12; 24. 50, 13. 56, 10. 57, 20. 59, 1. 75, 25. 88, 29. 91, 10. 95, 5. 98, 2. 100, 5. 101, 13. 102, 6; 17. *cf* 97, 19.
Africum mare 32, 10.
Agrigentum 30, 11.
Agrippa 121, 24.
Agro 7, 11.
Alba 6, 16. 9, 8.
Albani 8, 18. 9, 2. 66, 2; 25.
Albania 66, 28.
Albanus mons 83, 21.
Albinouanus 88, 16.
Albinus 58, 14.
Albis 118, 19.
Alcibiades 44, 21.
Aleria 30, 22.
Alesia 73, 21.
Alexander 42, 4.
Alexandria 100, 12.
Alia 17, 8.
Allobroges 59, 21. 93, 26.
Alpes 17, 3. 28, 17. 33, 10; 16; 25. 34, 15. 36, 3. 37, 19. 40, 26. 59, 20. 60, 24; 26. 61, 11. 62, 12. 73, 15. 93, 27. 115, 6; 13.
Alphius 51, 15.
Alsium 14, 21.
Ambiorix 71, 22.
Ambracia 45, 10.
Ambracius sinus 113, 25.
Amulius 6, 11; 17.
Ana 91, 23.
Ancharius 89, 17.
Ancus Marcius 9, 12. 11, 24.
Andriscus 48, 22.

Anicius 48, 14.
Anio fl. 18, 30. 19, 23.
Annibal 35, 8; 12; 20. 36, 16; 28. 37, 3; 10; 12; 18. 38, 6; 10. 39, 13; 26. 40, 1; 9; 17; 18; 23; 27. 41, 4; 8; 12; 17; 24; 25; 26. 42, 6. 43, 24; 28. 44, 18. 52, 21. 61, 25. 63, 26. 83, 28. 90, 6. 93, 7.
Anno 52, 20.
Antiochus 43, 10; 21. 44, 2; 20. 45, 9. 46, 3.
Antistius 121, 23.
Antium 15, 3.
Antonius 89, 11. 93, 15. 94, 5.
M. Antonius 69, 9; 20. 97, 21; 24. 98, 12. 104, 24. 105, 12; 15; 23. 106, 5; 17; 22. 107, 5; 10; 19; 24. 108, 15. 110, 16. 111, 11; 22. 112, 7. 113, 12; 17. 114, 14; 18; 25.
Aous 42, 23.
Apollo Cumanus 43, 18.
Apollo Pythius 16, 15.
Appeninus 87, 10.
Apuleius Saturninus 76, 5. 81, 2.
Apuli 22, 9. 25, 14.
Apulia 22, 14. 23, 10. 36, 25. 38, 21.
Aquae Sextiae 60, 27.
Aquilius 57, 13.
T. Aquilius 85, 25.
Aquitani 71, 19.
Arabes 114, 11.
Aracelium 121, 17.
Araxes 112, 8.
Arcades 7, 4.
Archelaus 64, 17.
Archimedes 38, 26.
Ardea 10, 27.
Arethusa 38, 28.
Aricinum nemus 14, 25.
Ariminum 96, 14.
Ariobarzanes 65, 4. 94, 25.
Ariouistus 34, 8. 72, 2.
Aristonicus 57, 6.
Armenia 66, 8. 75, 3. 113, 4. 120, 12.
Armeniae 66, 3.
Armenii 66, 23. 75, 20. 95, 12. 120, 9; 13.
Arminius 119, 8.
Aristobolus 67, 8.
Arruns 14, 2.
Arsia 34, 16.
Arsinoe 104, 11.
Artabazes 63, 24.
Artagera 120, 16.
Arthoces 66, 27.
Arueni 59, 22. Aruerni 73, 9; 22.
Arusini campi 23, 18.
Asculum 23, 10. 25, 22. 83, 24. 84, 10.
Asia 28, 25. 43, 10; 12; 19; 27. 44, 5. 46, 8. 63, 3. 64, 10; 14; 16. 65, 1; 3; 5; 7; 11. 66, 5; 21. 67, 10; 13; 20. 69, 20. 70, 27. 83, 19. 89, 23. 95, 5; 24. 101, 5. 110, 27. 114, 12.
Asiaticum fretum 68, 17.
Asinius Pollio 116, 10.
Astudas 47, 11.
Astura 122, 6.
Astures 121, 4. 122, 3; 23.
Athenae 42, 7. 44, 20. 64, 19; 23.
Athenio 85, 18.
Atilius 26, 3.
M. Atilius Regulus 30, 25. 31, 9; 28.
Atinius 17, 21.
Attalus 42, 14. 56, 29. 75, 15. 80, 20. *cf* 76, 1.
Attici 45, 12.
Attius Nauius 9, 22.
Auaricum 73, 20.
Auentinus 6, 23. 27, 23. 80, 25.
Auernus 20, 13. 110, 24.
Aufidus 37, 6.
Augustus *cf* Caesar Augustus.
Aurunculeius Cotta 71, 26.
Autrigonae 121, 8.
Autronii 93, 9.
Auxuma 92, 1.

Baebius 33, 22. 89, 13. 90, 21.
Bagrada 31, 9. 102, 5.
Baiae 20, 13. 37, 20. *cf* 110, 11.
Baleares, 70, 1. 91, 10.
Balearicus sinus 68, 14.
Basilus 97, 25.

Belgae 71, 9.
Bergida 121, 14.
Bithynia 64, 10. 65, 4.
Bituriges 73, 9.
Bocchus 59, 4.
Boeotia 64, 28.
Boiorix 62, 9.
Bomilcar 37, 12.
Bononia 107, 13.
Borma 118, 20.
Bosporos 66, 16.
Bouillae 14, 22.
Brennus 46, 7.
Breuni 115, 7.
Britanni 71, 2. 73, 2. 75, 20.
Britannia 73, 22.
Brittii 25, 13.
Brittius angulus 87, 16.
Brittomarus 34, 5.
Brundisium 26, 2. 96, 16. 98, 12. 113, 23.
Brutus 5, 22. 12, 5; 21. 14, 2.
Brutus 97, 3. 104, 28. 106, 16. 107, 11. 108, 2; 15; 21. 109, 7; 14. 111, 8; 17.
D. Brutus 53, 11. 106, 13.
Byrsa 50, 11.

Caeninenses 7, 10.
C. Iulius Caesar 56, 18. 70, 28. 71, 7; 23. 72, 3; 12; 19. 73, 14. 74, 2; 5. 75, 16. 76, 19. 83, 22. 84, 3. 94, 1; 17. 95, 18; 20; 28; 30. 96, 4; 10; 13; 21. 97, 16. 98, 9; 16; 18. 99, 10; 16; 24. 100, 11; 13; 16; 19; 20. 101, 7; 9; 12; 20. 103, 4; 11; 27. 104, 7; 8. 105, 1; 8; 10; 16. 106, 4; 9. 108, 2; 5; 11; 12. 109, 23. 118, 4.
C. Caesar 120, 11; 19; 22.
L. Caesar 107, 19. 120, 11.
Caesares 6, 5. 89, 12. 120, 9.
Octauius Caesar Augustus 5, 2. 6, 2; 4. 52, 15. 75, 17. 105, 14; 16; 19; 24. 106, 5; 13; 21. 107, 1; 10; 25. 108, 14; 24; 26. 109, 5; 9. 110, 3. 111, 10. 113, 23. 114, 4; 15; 18. 116, 6; 11. 117, 14. 121, 25. 122, 3; 16; 18. 123, 17; 25.
Caesonius 104, 4.
Caesoriacum 14, 26. 118, 20.
Caieta 20, 13.
Calabria 22, 14.
Calagurris 92, 2.
Calatinus 30, 11.
Caledones 73, 3.
Caledonius saltus 21, 22.
Callaecia 53, 12.
Calpurnius Bestia 58, 8.
Calpurnius Flamma 30, 14.
Camerinenses 30, 13.
Camillus 18, 17; 24; 29. 26, 23.
Campani 20, 6. 22, 9. 37, 19.
Campania 20, 3; 10. 23, 2. 25, 4. 37, 16. 38, 12; 20. 68, 6. 83, 13. 86, 21. 90, 6. 110, 2.
Cannae 36, 24. 37, 18. 61, 26. *cf* 119 14.
Cantabri 121, 4; 5; 14.
Cantabria 121, 11.
Canuleius 27, 26.
Capitolinus mons 17, 25.
Capitolium 14, 24. 28, 12. 34, 6; 7. 37, 11. 40, 13. 80, 12; 24. 81, 19. 84, 17. 88, 18. 89, 16. 108, 6.
Cappadocia 65, 4. 75, 19. 94, 26. 101, 8. 113, 5.
Caprae palus 7, 27.
Capsa 58, 29.
Capua 19, 12. 20, 17. 37, 18. 40, 1; 6. 54, 9. 86, 14. 89, 26.
Caralis 39, 3.
Carbo 84, 8. 89, 7; 29. 90, 20.
Carinae 110, 15.
Carisius 122, 10.
Carnutes 73, 9.
Carrhae 14, 25. 74, 22.
Carseoli 84, 2.
Carthago 31, 4; 13; 27. 32, 22. 33, 4. 37, 8; 15. 41, 6; 16; 29. 44, 23. 49, 13; 20; 24; 26. 50, 19; 30. 51, 6. 52, 2. 54, 9; 16. 55, 2. 57, 20. 75, 14. 123, 19.
Carthago Hispaniae 39, 19. 52, 25.

Caspii 66, 2.
Caspium 67, 13.
Cassiuelanus 73, 3.
Cassius 28, 9. 64, 1. 104, 28. 107, 11. 108, 2; 15. 109, 5; 8; 14. 111, 8; 17.
P. Cassius 87, 11.
Castor 14, 15. 48, 8. 62, 17.
Catilina 76, 16. 93, 2; 24. 94, 4; 8.
Catthi 118, 9.
Catulus 89, 15. 90, 22.
Q. Catulus 92, 6.
Caucasus 66, 26.
Caudinae furculae 21, 1. 54, 19.
Celtiberi 53, 4; 19. 54, 13. 91, 7.
Celtiberia 97, 12.
Celtibericus 53, 7.
Celtici 53, 11.
Cenni 115, 8.
Censorinus 49, 25.
Cephallenia 45, 14.
Ceraunii montes 45, 15.
Ceres 20, 11.
Cethegi 93, 9.
Chaeronia 64, 29.
Chaonum montes 42, 22.
Cherusci 118, 10; 14.
Cicero 93, 15; 28. 107, 22. 108, 9.
Cilices 67, 17. 68, 7. 85, 18. 97, 26. 109, 27.
Cilicia 67, 28. 68, 22. 75, 3; 19. 94, 26. 100, 4.
Cimbri 60, 8. 61, 10. 62, 22.
Ciminius saltus 21, 21.
Cirta 59, 5.
Appius Caecus 24, 19.
Appius Claudius 5, 22. 26, 17. 27, 17. 29, 17. 32, 6. 40, 7. 63, 15.
Appius Pulcher 5, 22.
Claudius Drusus 115, 8. 118, 8; 16. 119, 2.
Claudius Marcellus 34, 12. 37, 27. 38, 11; 24. 96, 3.
Claudius Nero 40, 27.
Ti. Claudius Nero 68, 14.
Claudius Vnimanus 54, 1.
Cleopatra 100, 15. 105, 16. 113, 14.
Clipea 31, 4.
P. Clodius 70, 20.
Clodius Glaber 86, 18.
Cloelia 13, 15; 25.
Clusium 17, 4; 7.
Cnosos 69, 16.
Colchi 66, 16; 25; 26.
Collatinus 5, 22. 12, 5.
Collina porta 88, 15. 90, 7; 12.
Colophon 57, 8.
Comidius 117, 1.
Confluentes 107, 13.
Contrebia 53, 7.
Cora 14, 20.
Corfinium 83, 19. 96, 15.
Corinthos 9, 20. 51, 7. 52, 2. 54, 9. 75, 15.
Corioli 14, 26.
Cornelius Asina 29, 23. 30, 9.
Cornelius Cinna 88, 24; 28. 89, 7. *cf* 94, 15.
Scipio 44, 22. 89, 21; 27. 101, 19; 28.
Scipio 50, 14. 55, 2; 13. 53, 9.
Gn. Scipio 39, 5. 52, 20.
L. Cornelius Scipio 30, 20.
P. Scipio 39, 5. 52, 19.
Scipio Africanus 36, 6; 9. 39; 11. 41, 11; 24; 25. 44, 23. 50, 15. 52, 24.
Scipio Nasica 49, 21. 80, 15.
Scipiones 50, 13. 52, 15.
Corniculum 14, 21.
Corsica 30, 22.
Cossus 14, 11.
Cossus Gaetulicus 120, 4.
Cotiso 117, 12.
Cotys 94, 25.
Crassi 89, 13.
Licinius Crassus 57, 9. 74, 8. 87, 14. 95, 17; 21; 27. 112, 4. *cf* 111, 14. 112, 1; 18. 123, 15.
M. Crassus 116, 21.
Crastinus 99, 12.
Cremera 15, 23.
Crete 67, 22. 69, 14. 95, 14.
Critolaus 51, 10; 14.
Crixus 86, 13.
Cumae 20, 16.

Cures 8, 3.
Curiatius 8, 20.
Curicticum litus 97, 21.
Curii 93, 9.
Curio 63, 14. 98, 3.
Curius 23, 11. 24, 23; 25.
Curius Dentatus 19, 22.
Cyclades 64, 18.
Cydonea 69, 17; 22.
Cynocephalae 42, 25.
Cypros 70, 17.
Cyrenae 67, 22.
Cyrus 123, 7.
Cyzicus 65, 13.

Dacia 63, 14. 117, 16.
Daci 115, 4. 117, 12.
Damascus 67, 2.
Danuuius 63, 11. 117, 13; 20. 123, 6.
Darius 43, 16.
Deciates 33, 20.
Decius 22, 4.
Decius Mus 19, 9.
Deiotarus 94, 25.
Delmatae 115, 3. 116, 8.
Delmatia 62, 26.
Delminium 116, 9.
Delos 64, 19.
Diaeus 51, 18.
Didius 63, 9. 102, 21.
Dolabella 19, 5. 71, 24.
P. Dolabella 97, 21. 105, 23.
Domitius 91, 21. 96, 15.
Domitius Ahenobarbus 60, 1.
Dones 120, 16.
Drauus 116, 2.
Drepana 30, 12.
Drusus 63, 11. *cf* Claudius. Liuius.
Duillius 29, 23. 30, 5.
Dyrrachium 98, 22.

Eburones 71, 22.
Egeria 8, 11.
Egnatius 83, 17.
Eleutherna 69, 16.
Elis 51, 15.
Ephesus 44, 21.
Epiros 22, 17; 28. 95, 3. 98, 9. 113, 23.
Eryx 30, 12.
Esquilina porta 88, 15.
Etruria 15, 20. 19, 5. 21, 20. 83, 13. 90, 6. 92, 18; 23. 93, 22. 94, 5. 96, 15.
Etrusci 13, 3; 9. 21, 16. 26, 7. 83, 4; 17. 84, 7.
Euander 7, 4.
Euboea 42, 28. 44, 6. 64, 19; 27.
Euburiates 33, 21.
Eumenes 56, 29.
Eunus 84, 24.
Euphrates 14, 26. 66, 8. 74, 12; 18. 111, 24. 112, 8. 123, 7.
Euripus 44, 7.
Europa 28, 25. 43, 29. 64, 3; 16. 65, 7. 70, 27. 83, 19.

Fabii 15, 22. 20, 22.
Fabius 17, 8. 35, 21.
Fabius Ambustus 27, 27.
Fabius Buteo 32, 10.
Fabius Gurges 26, 9.
Fabius Maximus 21, 26. 38, 6. 54, 4. 60, 2.
Fabius Pontifex 18, 11.
Fabricius 23, 11. 24, 24; 25.
Faesulae 14, 24. 84, 1.
Falerni saltus 38, 9.
Falernus 20, 14.
Falisci 15, 27. 16, 1.
Faustulus 6, 15.
Faustus Sulla 104, 18.
Ferentana turma 23, 4.
Feretrius Iuppiter 7, 11. 16, 12.
Fides 8, 9.
Fidenae 15, 27. 16, 6.
Fimbria 89, 12.
Flaccus 40, 7.
Flamininus 42, 22.
Flaminius 34, 10. 36, 17.
Florentia 90, 26.
Formiae 20, 16. 110, 1.
Fortuna 5, 8. 66, 4. 70, 28. 97, 18. 99, 4. 100, 15.
Fregellae 14, 26. 25, 4.

Fufidius 90, 16.
Fuluia 93, 17. 106, 23.
Fuluius 33, 21.
Gn. Fuluius Centimalus 34, 22.
Q. Fuluius 5, 23.
Fuluius Nobilior 45, 9.
Furnius 121, 24.

Gabii 10, 28; 30.
Gabinius 84, 7.
Gades 52, 28. 97, 16.
Gaditanum fretum 68, 14.
Gaetuli 120, 3.
Gaetulia 58, 25.
Galli 17, 28. 19, 9. 25, 12. 46, 7. 71, 1; 21. 74, 5. 88, 19.
Galli Insubres 33, 10; 25.
Galli Senones 16, 22; 27. 18, 29.
Gallia 60, 8; 10. 71, 3. 73, 1; 9; 18; 19. 75, 19. 95, 2; 24. 96, 27. 104, 8.
Gallia Cisalpina 106, 12.
Gallicus sinus 68, 13.
Gallograeci 46, 5.
Gallograecia 46, 2.
Ganymedes 101, 2.
Garamantae 120, 5.
Gaurani saltus 38, 9.
Gaurus 20, 14.
Gellius 68, 12.
Gergouia 73, 22.
Germani 71, 1; 30. 72, 4; 12. 99, 19. 115, 4. 119, 1.
Germania 118, 2; 23.
Glaucia 81, 15.
Gonphi 98, 26.
C. Gracchus 81, 6.
Graeci 69, 16.
Graecia 22, 11. 25, 7. 27, 14. 41, 30. 42, 13; 29. 44, 5. 46, 7. 51, 7. 64, 19. 66, 17. 94, 27.
Granicus 65, 21.
Gratillus 68, 13.
Grumentum 84, 1.

Hadrianum mare 19, 23. 22, 16. 34, 16. Hadriaticum fretum 68, 16.
Haedui 59, 22. 72, 1.
Haemus 47, 7. 63, 13.
Hasdrubal 40, 23. 41, 13. 50, 27. 52, 21.
Hebrus 63, 12.
Heluetii 71, 3.
Henna 85, 15.
Heraclea 32, 2.
Herculana uia 110, 21.
Herculaneum 20, 17.
Hercules 24, 17. 58, 29.
Herculis columnae 39, 14.
Herculis speculae 102, 27.
Hercynius saltus 14, 25. 21, 22. 118, 22.
Herdonius 84, 16.
Herennius 21, 4.
Herodes 74, 13.
Hiberi 66, 2; 27.
Hiberia 66, 25.
Hiberus 52, 27. 53, 28.
Hiempsal 58, 1.
Hiero 29, 21.
Hierosolyma 67, 4.
Hirtulei 91, 22.
Hispani 52, 17.
Hispania 35, 9; 30. 38, 22. 39, 5; 12; 19. 40, 23. 41, 20. 42, 14. 52, 8; 17; 22. 53, 4; 18; 27. 54, 11. 56, 10; 26. 60, 10. 91, 12; 14; 20; 26. 92, 2. 95, 2; 5; 24. 97, 6; 14. 102, 18; 26. 104, 13. 109, 24. 121, 2. 122, 17.
Hispanienses 96, 28.
Histri 45, 18.
Histria 22, 17.
Horatius 8, 20; 24.
Horatius Cocles 8, 14; 16.
Horatius Publicola 12, 17.
Horoles 66, 28.
Hostilius Mancinus 50, 9. 54, 24. 55, 2. *cf* 79, 20.
Hypsaeus 85, 10.
Hyrcanus 67, 8.

Ianiculus 13, 11. 27, 26. 89, 8. 92, 20.

Ianus 8, 8. 33, 8. 123, 18.
Ilerda 97, 7.
Illyricum 22, 17. *cf* 97, 19; 21.
Illyrii 33, 10. 34, 15. 48, 14. 115, 3; 13.
Indi 67, 12. 123, 11.
Indutiomarus 71, 21.
Ingauni 33, 21.
Insubres *cf* Galli.
Interamnium 90, 26.
Ionium mare 42, 12. 51, 8.
Isara 59, 24.
Isauri 67, 28.
Isidorus 67, 21.
Isthmus 51, 19.
Italia 5, 23. 13, 6. 17, 4. 18, 27. 20, 9. 21, 17. 22, 10; 12. 25, 1; 20. 28, 17; 19; 24. 29, 1; 4. 32, 11. 33, 11. 35, 13; 28. 36, 3. 38, 19; 21. 39, 26. 40, 14; 28; 29. 41, 1; 12; 17; 20. 42, 6. 60, 10; 24. 61, 12; 17. 62, 14. 64, 20. 66, 17. 75, 9; 26. 81, 25. 83, 6; 13; 26. 87, 16. 88, 10. 90, 25. 94, 17; 18. 95, 2. 96, 12; 20.
Italici 26, 6.
Iuba 98, 5. 101, 19; 24; 30. 104, 12.
Iudaei 67, 5.
Iugurtha 57, 21. 59, 9.
Iulius Proculus 7, 29.
Iulia 95, 28.
Iulus 6, 16.
Iuppiter 7, 16. 17, 26. 34, 9; 10. 89, 16.
Iuppiter Feretrius 7, 11. 16, 12. 34, 12.
Iuppiter Stator 7, 18.
Iuturnae lacus 48, 7.
Iuuentas 11, 6.
Iuuentius 48, 27.

Labienus 103, 20. 111, 17; 23.
Lacedaemon 31, 17. 42, 29.
Lacedaemonii 22, 13; 27.
Lacones 44, 15.
Laeuinus 23, 3. 37, 27. 42, 11.
Lamponius 90, 5.
Lancea 122, 12.
Lar Tolumnius 16, 12.
Lasthenes 69, 22.
Latinae feriae 83, 22.
Latini 7, 2. 14, 6; 19. 15, 6. 19, 9; 20; 21. 83, 4; 14.
Latium 6, 16. 10, 27. 13, 3. 14, 8. 76, 8. 83, 12.
Lauinium 6, 16.
Lauro 91, 24. 104, 4.
Lentulus 68, 15. 85, 9. 86, 13. 87, 10. 93, 11; 23. 96, 3. 117, 15; 20.
Leonidas 30, 17.
M. Lepidus 92, 6; 9; 12. 107, 6; 8; 19; 25. 108, 14.
Lernaeus anguis 24, 17.
Lesbos 100, 3.
Leucadia 113, 25.
Leucates 113, 25.
Libanus 67, 2.
Liber 20, 11.
Libo 96, 15.
Liburni 34, 15.
Libycum fretum 68, 15.
Ligur 59, 3.
Ligures 33, 9; 16.
Ligusticus sinus 68, 13.
Lilybaeum 30, 12.
Liparae 30, 3.
Liris 23, 3. 25, 4.
Liuius Drusus 76, 8. 81, 25. 82, 9; 10; 14; 23; 25. 83, 9.
Liuius Salinator 40, 27; 28.
Longini 93, 10.
Lucani 22, 9. 23, 17. 25, 14. 84, 8.
Lucania 22, 14. 38, 14. 83, 18.
Lucretia 11, 13. 12, 15. 27, 18.
Lucrinus 20, 13. 110, 22.
Lucullus 53, 9. 63, 15; 28. 65, 16; 20; 27. 85, 25.
Luna 66, 10.
Lusitani 53, 12; 17; 24. 91, 7.
Lutatius Catulus 32, 19. 92, 20.
Lysimachia 44, 1.

Macedones 25, 13. 42, 1; 19. 43, 24. 47, 2; 4. 48, 18; 20. 62, 24; 25.

Macedonia 22, 28. 41, 30. 42, 23. 43, 10. 46, 20. 47, 1; 7; 17; 29. 48, 6; 10. 49, 4. 51, 13. 53, 6. 56, 10. 66, 16. 94, 26. 108, 11.
Maeander 44, 25.
Maenius 15, 4.
Maeotis 63, 16.
Magaba 46, 13.
Magra 33, 17.
Maharbal 37, 11.
Maleum iugum 45, 15.
Maleus sinus 67, 23.
Mamilius Tusculanus 14, 8.
Manilius 15, 9. 49, 25. 60, 17.
Manlius 17, 24. 18, 7; 24. 28, 12. 85, 9. 93, 22.
Gn. Manlius 45, 20.
Manlius Torquatus 19, 1; 9.
Manlius Vulso 46, 4.
Marcellinus 68, 15.
Marcius 116, 9.
Gn. Marcius Coriolanus 15, 2. 26, 20.
Marcius Philippus 47, 9. 83, 22.
Marcomanni 118, 9.
Marius 58, 26. 60, 18; 24. 61, 19. 62, 5. 64, 6. 76, 14. 81, 3; 18. 88, 2; 12; 22; 29. 89, 7; 11; 17; 19; 25. 90, 8. *cf* 94, 15.
Marius 90, 22.
Marius 89, 28.
Marmaridae 120, 5.
Mars 6, 9. 12, 9. 34, 8. 99, 17. 102, 20. 103, 8.
Marsi 83, 16. 84, 8.
Massicus 20, 15.
Massilia 59, 21. 96, 29. 120, 11.
Massinissa 49, 18. 57, 25. 58, 12.
Massiua 58, 12.
Mauretania 59, 4. 101, 19. 102, 26. 104, 12.
Mauri 58, 25. 98, 5.
Mazaras 74, 19.
Medullius 121, 18.
Megarauicus 54, 22.
Menas 110, 4.
Menecrates 110, 4.
Menenius Agrippa 27, 6.
Merula 89, 15.
Messana 29, 10.
Metapontum 86, 23.
Metaurus 40, 26.
Metellus 32, 1. 49, 3. 51, 13; 14; 17. 53, 6. 58, 19. 74, 10. 81, 12. 82, 7. 91, 17.
Q. Metellus 95, 10; 14.
Metellus Balearicus 70, 1.
Metellus Creticus 68, 17. 69, 15; 21; 27.
Metellus Macedonicus 69, 26.
Mettus Fufetius 9, 6.
Micipsa 57, 25.
Minucius 63, 12. 80, 23.
Misenus 20, 13.
Mithridates 63, 25. 65, 2; 5. 66, 13. 69, 8. 88, 15. 91, 14.
Moesi 115, 3. 116, 17.
Molossi 25, 13.
Morini 72, 24.
Mosa 118, 19.
Mosella 72, 13.
Mucius Scaeuola 13, 14; 18.
Mucius Scaeuola 90, 3.
Mulucha 59, 2.
Muluius pons 92, 19.
Mummius 51, 18.
P. Mummius 81, 15.
Munda 103, 1; 27. 104, 14.
Musulami 120, 3.
Mutina 87, 11. 106, 16.
Myndos 57, 8.

Nabis 42, 28.
Nar 19, 23.
Nautius 30, 27.
Neapolis 20, 16.
Nemea 43, 2.
Neoptolemus 64, 17.
Neptunus 110, 7.
Nertobriga 53, 8.
Nicephorium 74, 12.
Nicomedes 64, 2. 65, 4.
Nilus 104, 10.
A. Ninnius 81, 5.
Nola 38, 13. 86, 22.

Norbanus 89, 21; 27.
Norici 115, 3; 6.
Norici tumuli 62, 11.
Nuceria 84, 3. 86, 23.
Numa Pompilius 8, 3; 15. 9, 13. 11, 21. 33, 8. 123, 9.
Numantia 15, 2. 52, 2. 54, 9. 75, 15.
Numantini 53, 17. 54, 26; 28. 55, 5; 12.
C. Numicius 23, 12.
Numidae 49, 17. 58, 16. 59, 5.
Numidia 57, 21. 58, 8; 22.
Numitor 6, 18.
Numitorius 89, 14.

Obliuionis flumen 53, 13.
Obsidius 23, 4.
Oceanus 17, 2. 39, 15. 52, 28. 53, 13. 60, 9. 67, 13. 68, 11. 71, 14; 17. 72, 21. 73, 1; 2; 6. 91, 11. 97, 16. 102, 21; 23. 104, 10. 114, 15. 119, 24. 121, 3; 12; 16.
Ocriculum 10, 28. 84, 1.
C. Octauius 80, 6.
Gn. Octauius 88, 24. 89, 8; 10.
Octauius Libo 97, 23.
Oenomaus 86, 13.
Olbia 30, 22.
Olympos 46, 12. 67, 28.
Olyndicus 53, 21.
Opimius 80, 26.
Opitergini 97, 28.
Orchomenos 64, 29.
Orgiacon 46, 16.
Orhozes 66, 26.
Oricum 98, 11; 26.
Orontes 111, 24.
Osca 91, 28.
Ostia 9, 14. 89, 6.
Oxubii 33, 21.

Pacorus 111, 18; 23. 112, 2; 4.
Padus 17, 3. 36, 5.
Palatinus mons 6, 23.
Pales 26, 4.
Pamphylium fretum 68, 17.
Panares 69, 22.
Panhormus 30, 12. 32, 2.
Pannonii 115, 3. 116, 2.
Papirii 20, 25.
Papirius 21, 9.
Paraetonium 114, 16.
Parthi 67, 11. 74, 6. 95, 27. 100, 4. 111, 14. 112, 4; 26; 29. 113, 13; 17. 120, 12; 17. 123, 14.
Paulus 37, 5. 119, 14.
L. Paulus 107, 19.
Pelorum 110, 6.
Pelusium 114, 17. *cf* 100, 5.
Pergameni 42, 16. 56, 29.
Perperna 57, 12. 85, 11; 25. 91, 27.
Perrhaebi tumuli 47, 11.
Persae 43, 15. 63, 24.
Perses 47, 1. 48, 5; 13; 24.
Perusia 107, 1.
Perusium 107, 13.
Petreius 97, 7. 102, 2.
Pharnaces 66, 18. 101, 7. 104, 12.
Pharos 100, 24. 104, 11.
Pharsalia 101, 14; 20. 104, 13.
Phaselis 67, 27.
Philippici campi 99, 2.
Philippus 42, 3; 6. 43, 10. 46, 22.
Philippus 48, 24. 82, 13; 20.
Phryges 7, 3.
Picentes 25, 22. 26, 2.
Picentia 84, 2.
Picenum 83, 12.
Piraeus 64, 24.
Piso 85, 9. 117, 8.
Plaetorii 90, 20.
Plato 102, 10.
Plotius 68, 12. 83, 17.
Poeni 29, 9; 10. 30, 11; 23. 31, 3. 32, 1. 35, 15; 21. 39, 6. 48, 18. 52, 17; 26. 75, 13. 88, 19.
Pollux 14, 15. 48, 8. 62, 16.
Polyxenidas 44, 18.
Pompedius 83, 16; 27.
Pompei 20, 17.
Pompei 68, 16.
Pompeius 54, 23.
Gn. Pompeius Magnus 56, 18. 63, 28. 66, 4; 21. 67, 9. 68, 7; 13;

22. 69, 19. 70, 27. 74, 14. 75, 16. 76, 19. 91, 17. 92, 20. 94, 17. 95, 13; 15; 19; 21; 28; 30. 96, 5; 7; 13; 16; 20; 25; 28. 97, 7; 22. 98, 8; 27. 99, 15; 18; 28. 100, 9; 14; 18; 21. 101, 7; 22. 103, 6. 104, 3; 19. 105, 8; 9. 108, 16. 109, 23. 110, 10. 120, 14.
Gn. Pompeius 102, 19. 104, 3.
Sextus Pompeius 102, 19. 104, 6. 105, 13. 111, 8.
Pompeius Strabo 84, 8.
Pomptinus ager 19, 2.
Pontiae 110, 2.
Pontici 65, 3; 6. 66, 11. 91, 15. 95, 11.
Ponticum mare 63, 23. 65, 25. 68, 17.
Pontius 21, 4.
Pontus 68, 11. 101, 5. 104, 12.
Popilius 54, 4.
Porcii 93, 9.
Porcius Cato 68, 18. 70, 23. 84, 7. 94, 1. 95, 14. 102, 19.
Cato Censorius 49, 29. 53, 3.
Cato 63, 9.
Porsenna 13, 9.
Postumius 14, 10. 21, 2. 26, 15. 33, 22.
Pothinus 101, 2.
Praeneste 14, 23. 25, 5. 90, 26.
Propontis 68, 18.
Pseudophilippus 48, 24.
Ptolemaeus 70, 19. 100, 12.
Puteoli 20, 16. 110, 1.
Pyrenaei montes 39, 14. 52, 11; 19. 121, 2.
Pyrrhus 22, 11; 26. 23, 27. 24, 13; 16. 25, 3. 45, 11. 63, 26. 83, 28. 90, 6.

Quinctius 28, 11.
T. Quinctius 15, 8.
Quintilius Varus 119, 3; 9; 14.
Quirinalis mons 18, 12.
Quirinus 8, 1.
Quirinus 120, 5.
Raudius campus 61, 22.
Rauenna 73, 14.
Regilli lacus 14, 9.
Regillus *cf* Aemilius.
Remus 6, 12; 22; 27.
Rhascypolis 94, 26.
Rhea Silvia 6, 10.
Rhenus 71, 4; 27; 29. 72, 16; 18. 104, 9. 118, 4; 19. 119, 25. 123, 6.
Rhodanus 59, 25. 71, 3; 7. 104, 9.
Rhodii 42, 17. 44, 19. 45, 12. 68, 10.
Rhodope 63, 13.
Rhodus 64, 18.
Rhoecogenes 55, 26.
Rhoemetalces 117, 6.
Roma 8, 2. 9, 9. 19, 6. 25, 9. 37, 10; 16. 40, 3; 18. 48, 6; 16. 58, 2. 62, 20. 64, 20. 83, 20. 87, 12. 95, 12. 107, 20.
Romani 22, 22. 24, 15. 31, 19. 35, 10; 14. 36, 1. 37, 1; 21. 38, 17. 39, 27. 42, 3. 43, 22; 23; 29. 45, 9. 48, 12. 50, 20. 51, 4; 11. 52, 12. 54, 18. 58, 10. 66, 11. 70, 11. 71, 10. 72, 5; 10; 22. 112, 4; 27; 28. 113, 17. 116, 20. 117, 8. 121, 20. 122, 6.
Romulus 5, 2. 6, 9; 18. 7, 16; 30. 8, 3. 11, 20. 18, 21. 34, 12. 53, 27. 123, 24.
Rufinus 24, 26.
Rutilius 82, 7. 84, 3.

Sabaei 114, 11.
Sabini 7, 12. 19, 20. 25, 12. 83, 4.
Sacriportus 90, 7; 11.
Saguntini 35, 27.
Saguntos 35, 9.
Salamis 44, 21.
Sallentini 26, 2.
Saluuii 33, 20. 59, 20.
Samnites 20, 5; 19. 21, 18. 25, 12. 84, 8. 90, 5.
Samnium 20, 27. 38, 9. 83, 17.
Samos 57, 8.
Samothrace 47, 21.
Sardinia 30, 21. 33, 1. 38, 22. 39,

1. 42, 14. 92, 23. 96, 26. 108, 26.
Sarmatae 63, 15. 115, 4. 117, 19. 123, 10.
Satricum 14, 21.
Saturninus *cf* Apuleius.
Sauus 116, 2.
Saxa 111, 19.
Scaurus 58, 5. 82, 13.
Scaeuola 98, 24.
Scodra 48, 14.
Scordisci 63, 6.
Scythae 123, 9.
Segestes 119, 10.
Segidenses 54, 17.
Segisama 121, 10.
Segouia 91, 22.
Seleucia 74, 15.
Sempronius 25, 22. 36, 12.
Sempronius Gracchus 38, 13. 39, 1. 53, 4.
C. Sempronius Gracchus 53, 5. 80, 19. 81, 8. *cf* 76, 5. 81, 2. 82, 3; 15.
Ti. Sempronius Gracchus 53, 5. 79, 20. 80, 7. 81, 8. *cf* 76, 5. 81, 2. 82, 3; 15.
Senones 16, 22; 27, 18. 29. 88, 19.
Septimius 100, 7.
Sequani 73, 10.
Seres 123, 10.
Sertorius 64, 6. 89, 8. 91, 27.
Seruilius 85, 17; 25.
Seruilius Ahala 28, 12.
Seruilius Caepio 60, 17. 68, 18. 82, 10; 12. 84, 3.
P. Seruilius Isauricus 67, 24. 68, 1.
Seruius Tullius 10, 6; 19. 11, 27.
Sibyllini uersus 93, 23.
Sicambri 118, 11; 15.
Sicilia 22, 18. 29, 9; 11. 30, 20. 32, 2. 33, 1. 38, 22; 24. 42, 14. 68, 5. 75, 24. 84, 19. 87, 17. 96, 26. 109, 26.
Sicoris 97, 8.
Siculum mare 68, 12. 110, 24.
Silaces 74, 22.
Silanus 60, 11; 16.
Sipylus 44, 25.
Sirenas 74, 22.
Soranus 90, 20.
Spartacus 86, 9; 13. 87, 21.
Spoletium 90, 26.
Stolo 27, 29.
Sucro 91, 24.
Suebi 118, 11; 15.
Suessa Pometia 10, 28.
Sulla 59, 9. 63, 28. 64, 6; 21. 65, 3. 74, 14. 76, 14. 84, 8. 88, 2; 13; 14. 89, 24; 25. 90, 12. 91, 3. 92, 8; 13. *cf* 94, 16. 107, 15.
Sullae 93, 9.
Sulmo 90, 26.
Sulpicius 27, 28. 88, 16. *cf* 88, 13.
Syedra 100, 4.
Syphax 41, 13.
Syracusae 38, 26.
Syria 41, 30. 43, 20. 44, 17. 56, 10. 67, 2. 75, 3; 28. 108, 11. 111, 21. 112, 1; 11, 113, 9. 120, 11.
Syria dea 84, 25.
Syrtes 32, 14. 120, 4.
Syrus 84, 24. 85, 18.

Tagus 53, 29.
Tanais 63, 16.
Tanaquil 10, 8.
Tarcondimotus 94, 25.
Tarentini 22, 10; 25.
Tarentus 22, 13. 25, 20. 37, 16. 39, 29.
Tarpeia 7, 13.
Tarquinii 13, 9. 14, 1; 6.
Tarquinius Priscus 9, 18; 28. 10, 8; 9. 11, 25.
Tarquinius Superbus 10, 18. 12, 1. 108, 2.
Tarraco 121, 24.
Tatius 7, 19. 19, 21.
Tectosagi 46, 12.
Telesinus 83, 18. 90, 5; 9.
Tellus 25, 23.
Tempe 100, 3.
Tencteri 72, 12. 118, 9.

Terentius Varro 37, 5. 68, 16. 97, 16.
Termeste 92, 1.
Terminus 11, 6.
Teutana 34, 17.
Teutobocchus 61, 6.
Teutoni 60, 8; 26. 61, 10.
Thala 58, 23.
Thapsos 101, 20. 104, 13.
Thebae 42, 28.
Theodotus 101, 1.
Thermopylae 30, 17. 44, 14.
Thermus 96, 15.
Thessalia 22, 28. 62, 26. 95, 3. 98, 26. 99, 2. 102, 17. 105, 15. *cf* 100, 10.
Thessali 25, 13.
Thoas 43, 22.
Thoranus 86, 21.
Thorius 91, 22.
Thrace 66, 16. 87, 4.
Thraces 47, 3; 4; 5. 62, 24. 63, 6. 115, 3. 117, 6.
Thracia 49, 1; 6. 63, 11. 75, 19. 94, 26.
Thurii 86, 23.
Tiberinus 6, 13. 9, 14. 70, 23. 110, 3.
Tiberis 14, 26.
Tibur 14, 23.
Ticinus 36, 5; 11.
Tigranes 66, 24. 120, 13.
Tigurini 60, 8. 62, 11.
Titius 34, 16.
Titurius Sabinus 71, 26.
Tolostobogi 46, 12.
Torquatus 68, 13.
Traianus 6, 6.
Trasimenus 36, 16.
Trebia 36, 11.
Treueri 71, 22.
Tridentina iuga 61, 11.
Tullia 10, 22.
Tullus Hostilius 8, 15. 11, 22.
Turduli 53, 9.
Turmogi 121, 8.
Tusci 7, 2.
Tuscia 9, 28.
Tuscum mare 68, 12.

Vaccaei 53, 9. 121, 7.
Vadimonis lacus 19, 5.
Valentia 92, 1.
Valerius Coruinus 19, 3.
Varenius 86, 21.
Varguntei 93, 10.
Varro 37, 5. 97, 16.
Terentius Varro 68, 16.
Varus 33, 16.
Varus 98, 4. 102, 21.
Vei 16, 9; 17; 18. 17, 19. 26, 25.
Veientes 7, 10. 15, 20. 16, 1.
Velinus 19, 23.
Veneti 71, 13.
Venetia 61, 17.
Ventidius 111, 22.
Venuleius 90, 20.
Venus 70, 18.
Vercingetorix 73, 11.
Vergellus 37, 7.
Verulae 14, 22.
Vesta 8, 9. 17, 20. *cf* 90, 4.
Vesuuius 20, 15. 86, 17.
Veturia 26, 23.
Veturius 21, 1.
Vibius 116, 12.
Vindelici 115, 8.
Vindelicus 59, 24.
Vindius 121, 15.
Vinnius 116, 4.
Virginius 27, 20.
Viriatus 53, 25.
Viridomarus 34, 10.
Virtus 5, 8.
Visurgis 118, 19.
Vituitus 59, 27.
Vlia 92, 1.
Vmbri 21, 17. 83, 17.
Vmbria 96, 15.
Volcanus 34, 11.
Volero 26, 18.
Volsci 15, 7. 25, 11.
Volsinii 26, 6.

Volso 63, 13.
Volturcius 93, 27.
Vsipetes 118, 8.
Vtica 102, 6.
Vulteius 98, 2.
Vulturnus 89, 26. 110, 1.
Xanthippus 31, 17.
Xerxes 43, 15. 44, 21. 111, 2.

Zacynthos 45, 14.
Zama 58, 22.
Zeugma 74, 11.

CORRIGENDA.

p 37, 25 quicquam ‖ 69, 26 Eleuthernan
adn ad p 16, 25 inlatūam *N* ‖ 29, 14 tamen tanta *scripsi:* tanta tamen *BN* ‖ 61, 5 aqua ebiberit *B* ‖ 97, 29 exitum *BN* ‖ 108, 3 set *b*, ‖ 111, 13 terrae orbem et *Halmius* ‖ 123, 16 cuncta *N* ‖

LIPSIAE TYPIS BREITKOPFII ET HAERTELII.